CHRISTIANI TOBIAE EPHRAIM REINHARD

Camentia Lusati
Medicinae et Chirurgiae Doctoris
nec non
Physici Saganensis

FEBRIS miliaris purpuratae

Libri tres.

Praefatur
de
Mercurio remedio certissimo
aduersus Syphilidem
Carmen.

Adcedunt
de
Vulnerum hepatis lethalitate
et de
haemorrhagia pulmonis
Carmina.

Anno Aerae Christ. cIↄ Iↄ CCLVIII
Inpensis Auctoris.

Glogouiae
ex Officina Christiani Friderici Güntheri.

EPIGRAMMA
in
Hieronymi Fracaſtorii Veronenſis recuſam Syphilidem.

Pfuî! ſputo pellenda lues, cur ergo reuertis?
Dignior igne Iouis, dignior igne Stygis.
Forſitan humanum genus vt laniando necares?
Aufuge! ſic liceat non tibi luce frui.
Forſitan vt medicos nummis ditando beares?
Sic. Ter aue, et nobis hoſpes amata redi!

Reuerendiſſimo, Perilluſtri
ac
Ampliſſimo Domino,
DOMINO
IGNATIO
DE FELBIGER

Antiquiſſimae ac Celeberrimae Ducalis Canoniae
Apoſtolici Ordinis Canonicorum Regularium Sancti
Auguſtini, Congregationis Lateranenſis ad
Diuam Virginem Sagani

ABBATI, PRAELATO
INFVLATO,
ET
DOMINO,
COMMISSARIO EPISCOPALI
in ſpiritualibus
nec non
Inclutorum Statuum Ducatus Saganenſis in
Comitiis prouincialibus et Regiis Septemui-
ratus iudiciis
ASSESSORI PRIMARIO

Mecoenati, Fautori ac Patrono
indulgentiſſimo, gratioſiſſimo,
optimo,
ad cineres vsque, omni, quo decet, pietatis
et reuerentiae cultu
ſuſcipiendo, deuenerando ac colendo
hanc
Carminum phyſico - medicorum
triadem,
ſe, ſuaque qualiacunque officiorum genera in animi
grati teſſeram, tanquam in immortalis
memoriae monumentum
cum
diuturnae ſanitatis, et omnigenae felicitatis
piiſſimo voto
D. D. D.
atque
ABBATIS ET PRAELATI
Sortitam Dignitatem, ex ſincero cordis
affectu, gratulatur,
humillimus
Cliens, Seruus, et Auctor.

RE-

REVERENDISSIME, PERILLVSTRIS, AC AMPLISSIME DOMINE, DOMINE.

Diu me dubio anxium haesisse, aperte confiteri, minime erubesco, an tenue praesens, et TVO Nomine non satis dignum humilis Camoenae opusculum TIBI REVERENDISSIME ABBAS inscriberem. Quum tamen mearum partium esse, optime intelligerem, TIBI et animi mei propensionem exhibere, et mentis meae testari laetitiam, quam ex summo isto honore percepi, qui nuper in TE, volente sic Diuina Prouidentia collatus est. Vt itaque aliquod modo obseruantiae meae erga TE exstaret monumentum, hanc exilem lucubrationem potius, quam plane nihil offerre, malui. Exquisitissimus enim TVVS in rem literariam Amor, me lactat spe certissima, fore, ut ausus meos, licet ingenii sint tenuissimi, tamen

pro more TVO generoſo fronte, excipias ſereniori. IPSE literarum amantiſſimus, quin totus deditus es ſtudiis ſanctioribus: ſic labores eorum, qui carminibus magis delectare, quam prodeſſe ſumma ope nituntur, flocci pendere, nunquam conſueſcis. Tantum abſit, ut tam fortunatus eſſe, aueam, ſicut olim contigit Hieronymo Fracaſtorio Veronenſi apud Pontificem Maximum Paulum Tertium; Tantum abſit, ut eiusmodi ſecundae ſortis particeps fieri cupiam, qua quondam iſte ſagaciſſimus Medicus, conſummatus Philoſophus, diuinusque Vates et Augur gauiſus eſt, apud Patrem Purpuratum Bembum, cui egregium illud Syphilidis Poëma ſacrum eſſe voluit: Vt potius TVA, REVERENDISSIME PRAELATE, ſingulari gratia, qua Naturae gnaros, et Muſarum bonarum Cultores excipere ſoles, dignus cenſeri, omni, qua valeo, pica optem. Quo fidentius id abs TE efflagito, vt has pagellas TVO Nomine inſigniri patiaris: Ita DEVS O. M. huic Spartae, quam aeterni Numinis

minis Nutu, Regis Optimi Auſpiciis, Confra-
trumque TVORVM vnanimi Suffragio nactus es, quamque nunc ſumma cum Sapientia moderaris, diu TE incolumem praeeſſe ſinat, ardentiſſimis votis precatur

TVI NOMINIS
REVERENDISSIMI, PERILLVSTRIS, AC AMPLISSIMI
AMPLIANDI

Scribebam e Muſaeo
Sagani
ipſo Electionis die XXVIII Junii
cIↄ IↄCCLVIII.

ſtudioſſimus
C. T. E. Reinhard.

*A*BB*AS* *f*I*t*, *p*L*a*VD*o*, C*ogno*MI*ne*
FELLBIGER! ergo

F*a*C, *Pater o*M*n*I*potens*, *f*L*oreat*
ILL*E* DIV!

FE-

FEBRIS
MILIARIS PVRPVRATAE
LIBRI TRES.

P urpura, Coffeae ſoboles, hominumque
Sepulcrum,

Tormentum medici, *Purpura*, peſtis abi!

Frac-

Praefatio
de
MERCVRIO
remedio certiſſimo
aduerſus Syphilidem.

Quum mortale genus quaeuis ad grata reclinans
Natura, ſuperis Diis ſpretis atque Deabus,
Reginae Cypri daret et thus atque columbas,
Iupiter iratus, furias acherontaue mouit
Vt terris morbos inferrent, atque miaſma,
Quo poenas luerent mortales temnere diuos
Sueti - Peſtiferae Furiae phlegethonta relinquunt
Morbiferis nebulis comitatae, iuſſa ſupremi
Vt patris explerent, mundoque venena profano
Mira darent, ſuccosque hominum, corpusque grauarent
Mille malis, vitiisque quibus dura oſſa dolerent

Nocte,

Nocte, quiesque ſimul ceſſaret grata, medulla
Queis ſiccaretur, velut aruum ſolis ab aeſtu.

Sic ob contemtos ſuperos, legesque Deorum
Irrepſit morbi ſpecies, quae Syphilis audit.

Syphilis incaſtae mentis iuſtiſſima merces!
Per te forma cadit faciei, puſtula vultum
Defoedat, vox rauca ſonat, perit inde loquelae
Gratia, nunc graue olet, quem pulmo mittit ab ore
Spiritus, ut feriat nares, ceu foeda Mephitis;
Omnibus articulis accedunt nodus et vlcus,
Quae ſaniem plorant, quam naſus nauſeat ipſe.
Contractura pedes habet, et dolor vrget eosdem
Igneus, et macies deturpat lurida corpus,
Funera denſantur iuniorum millia centum.

Tantas pernicies, hominum ſator atque deorum
In coelo reſidens, quum cerneret, ille miſertus,
Mercurium mandat, labi medeatur vt iſti.

Mercurius vero ſupremi iuſſa recuſans
Humani generis laeſus per crimina, dictis

Non

Non voluit parere Patris. Sic Iupiter ira
Percitus huic alas reſecauit, ſed vice earum
Inſtruxit maiore pedes vi, curreret vt nunc
Ocius, haud vero volitaret, vt ante ſolebat,
Dum pennis eſſet munitus, iuſſit et illum
Sub terrae centro et tenebris habitare profundis
Hunc vt mortales ex imo viſcere terrae
Effoderent, poſſint certas vt habere medelas
Huic opportunas labi. At ſibi criminis olim
Mercurius memor illati perſiſtere neſcit,
Sed pedibus fretus, veloci tendere curſu
Nititur e manibus tranctantis. Acumine vero
Ingenii victus viuentum, cogitur ignis
Vt fixus maneat flammis, vt denique ſaeuam
Iram deponat, liquidis immergitur vndis,
Donec in hoc pereat furor omnis et ira leuetur.

Mercurius flammis ſic fixus redditus, atque
Crebro tinctus aqua, formam mutare priorem
Dum ſcit, ſpiritibus Cereris perfunditur vſtis,
Admoto tandem viuaci ſaepius igne
Torretur, donec Vulcani vi, pede fracto

Seſſi-

Seſſilis euadat, iaceatque podagricus, ante
Qui fuerat curſor quam velociſſimus. Ille
Saepe ſaginatur multa pinguedine porci,
Fiat vt ex gracili, mirandum! abdomine tardus.
Atque latex in eum ſputatur ab ore Saliuae
Siſtere ſi non vult greſſum, tandemque pudore
Suffuſus perſtat. Terebinthina glutinis inſtar
Glutinat, atque pedes illius firmat et omnem
Mercurii prohibet curſum. Coniungitur apte
Sulphur Mercurio currenti, ſicque catenis
Iſtis auratis vincitur, dum ſuper igne
Exacte teritur, miſcendo ſurgit ab horum
Coniugio ſpecies, quae nigreſcente colore
Gaudet et aetiopis vultum induit. Ergo medela
Optima contagi tam turpi cogitur eſſe
Mercurius, licet ille quidem, ceu flumen et aeuum
Currere tentaret. Tempus retinere quis audet?
Mercurium retinere tamen, valet artis acumen.

Quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit, opto!

de

F E B R E
miliari purpurata
libri tres.

Praefamen.

P*urpura* ſaeua, ferox, veſanaque, *purpura* peſtis,
Exitium ſexus ſequioris, flebile fatum,
Purpura progenies ſtygis et ſacrae famis auri,
Hoſpes dira noui mundi, quae per maris vndas
Ad nos veniſti. Prius o ſi Te mare vaſtum
Naufragio peſſum, labes inſana, dediſſet!
Sic non in viduo lecto quereretur ademtam
Morte thori ſociam, ceu celſa turtur ab vlmo
Fata gemens ſociae, vigilans ſub nocte maritus.
Sic non in cunis infans vagiret, et ipſe
Defleret matrem, ſic non fera fata ſororis
Frater germanus gemeret, neque buſta maderet
Neptis auus lacrumis, neque natae funera mater
Fleret. At haut votis eſt exorabile fatum.

Purpura decocti Bonnae foediſſima proles,
Te cano carminibus moeſtis: At tutius eſſet
Si Te neſcirem, nam non es carmine digna.

Cur Tibi tam pulcrum nomen titulumque ſuperbum
Aetas noſtra dedit medicis ſuadentibus? anne
Purpureus quoniam Tibi ſit color? At color iſte
Quum modo conueniat laetis, non triſtibus aptus

Eſſe

Eſſe poteſt fatis. Lanienae nomine dirae
Dignior es potius diriſſima *purpura.* Sed dum
Hoc Tibi perplacuit medicis imponere nomen;
Non augebo tuum titulum, mutaboque nomen:
Purpura ſemper enim veſana vocaberis a me
Dignior eſſe licet lanienae nomine ſueſcas.
En! anabaptiſtae crimen vitare laboro.

Coeptis adſpirate meis, quos *purpura* veſtit,
Patres, vera canam, matresque fauete canenti,
Tuque faue laeto defuncta puerpera partu,
Forte puerperium ne triſtis *purpura* laedat
Corripiatque tuum collum, pectusque tenellum
Et te ſic iugulet, fias vt triſte piamen
Mortis et infantis fletus, vulnusque mariti:
Coeptis adſpirate meis, quos *purpura* veſtit!

Aſt ego dum meditor verſu deſcribere morbum
Antea inauditum, ratio ſuadere videtur,
Vt prius exponam, breuiterque referre laborem
Vnde ſit illius morbi infelicis origo,
Et quibus ille modis irrepſerit, et typus, et quae
Sint huius morbi ſymptomata, queis modo cunque
Purpura ſtipatur, quae cura ſit, atque diaeta
Huic quae conducat *labi*, qualesue tenere
Cautelae poſſint in cura, dicere fas eſt.

Quam prius incipiam Te, candide Lector, oportet
Scire: meis, aptum non nomen carminis eſſe
Verſibus. Id fateor: nunquam didiciſſe cothurnis;
Sed ſueuiſſe modo ſoccis incedere Muſam
Ex leuiore luto, non nobiliore creatam:
Obſeruata tamen, tibi dum fero, ſpe fruor alma
Affore, vt illa tibi placeant ratione probata.

FE-

FEBRIS
miliaris purpuratae
liber primus.

§. I.

Ordiar, atque orſus primo procedat ab ouo,
Vt ſimul vnde ſuos natales traxerit illa
Deteſtanda *lues*, pateat, quae *purpura* noſtris
Dicitur a medicis, morborum lerna vocanda
Horribilis, quid quod, medicorum ſcandalon et crux,
Purpura praecipue milii *quae* ſeminis inſtar
In facie cutis effloret, prurigine nec non
Febre mala coniuncta furit, dirisque fatigat
Spaſmis faemineum, tenerumque et amabile corpus.

§. II.

Vix prius audito, dedit incunabula, *morbo*,
Praeteriti ſaecli medium, quo pharmaca fecit
Spirituoſa, ſagax medicorum inuentio, morbos
Queis debellaret. Medici ſed maxima damna
Humano generi, non commoda grata tulerunt.
Namque his a mediis agitatus ſanguinis humor
Concipit orgaſmum, vt niſu maiore feratur
Ad faciem cutis: Aſt illuc delata ſeroſa
Pars in vaſorum tubulis ſubtilibus haeret,
Et ſtagnat; Verum ſtagnando ſit acrior, illuc
Pars delata ſeri: Mora et innatus calor augent

Sub cute ſtagnantes, ac acri ſorde repletos
Humores, hinc hi rodunt, punguntque tenellas
Neruorum fibras, et in illis vlcera parua
Parturiunt, haec vt papularum more reſurgant,
Atque effloreſcant. Oriatur vt inde, neceſſe eſt
Purpura, quae ſtimulare cutim prurigine ſueſcit.

§. III.

At ſi neruoſae fibrillae iuſtius aequo
Acribus a ſuccis ſtimulantur, prodit acuta
In ſcenam febris, quae ſpaſmo ſpicula tentat
Excutere haec infixa cuti, tubulosque pororum
Obſtructos reſerare, nimis ne obſtructio laedat,
Exitiumque ferat lethale! Solere, ſciendum eſt,
Motus febriles prodire, tenereque corpus,
Si conuelluntur nerui, ſi viſceris atque
Exſtat vaſorum, remorans obſtructio, curſum
Sanguinis aequalem, ſine quo non vita ſalusque
Perdurare diu poſſunt, ſed cedere retro
Coguntur, quare veniat mors atra, neceſſe eſt.

§. IIII.

Purpura continuo tenet hos, multumque fatigat,
Quos modo ſpirituum nimius delectat abuſus.
Vidi purpureos patres, quos nullus in vrbe
Roma condiderat Praeſul, ſed ſolus abuſus
Spirituum vſtorum vini generauerat. Ergo
„ *Diuiſum tenet imperium cum Praeſule vinum,*
„ *Ars, ex frumentis, quod ſtillatoria fundit?*

§. V.

§. V.

Non noſtro morbo natales ſola dederunt
Pharmaca ſpiritibus ſaturata; Sed altera cauſa
Atque ſubeſt princeps, ex qua incrementa, maligna
Illa lues traxit. Fructus Coffea vocatur,
Qui morbum genuit tam ſaeuum, tamque malignum:
Terra dat hunc oriens fructum, quae per mare vaſtum
Mittit ad Europam fructum, morbumque recentem
Infert cum fructu ſimul orbi. - Gignitur a re
Saepe noua, mox vtilitas noua, mox noua labes.

§. VI.

Centum fluxerunt anni, queis prodiit illa
Purpura nota prius nulli. Flagraſſe, quis autem
Neſciat horrendi belli, miſerabile dictu,
Flammam praeterito ſaeclo ſex luſtra furentem,
Vrbes vaſtantem, pagos populosque ruina
Delentem? Verum Summi moderamine *Iouae*
Praeteriti ſaecli medio pax Vueſtphalica, hoc in
Europae tractu prodibat, qua, data tandem
Libertas Batauis fuit, vt quas India mittit
Merces inferrent Europae. Lipſia quare
Accepit Bonnae fructus Coffea vocatos,
Quorum deliciis deceptus ciuis, eosdem
Appetiit, nimiumque ſimul reuocauit in vſum,
Praecipue ſexus ſequior, qui ponere neſcit
Et ſeruare modum rebus, dilexit abuſum
Decocti Bonnae, ſibi quo contraxit acerbum
Atque nouum morbum, qui ſe coniungere ſueſcit
Vsque puerperio cum tetra labe ſalutis.

„Ecce! ſuas noxas habet immoderatio: Sicut
„Vtilitate ſua, finisque modusque beantur.

§. VII.

Quod ſit origo mali Coffeae prauus abuſus
Apparet ſatis ex illius partibus, ex queis
Conſtat principibus. Nam toſtus fructus ab igne
Empyreumaticas oleoſas ſulphure foetas
Partes ſubpeditat. Nocet empyreumate neruis
Bonnae decoctum, ac humorum, Sulphure, maſſae
Sueſcit obeſſe ſuo, et noxas valet addere vitae.
Sulphur et empyreuma nocent, pariuntque tremores
Membrorum, faciunt inſomnia, pectoris atque
Cordis producunt morbos, capitisque relinquunt.
Nam ſtimulant neruos, ſtimulatis fortiter illis
Humor purpureus citius per vaſcula currit,
Fortior adtritus globulorum ſanguinis vrget
Vaſorum fibras neruoſas, concipit inde
Ex curſu celeri maiorem maſſa calorem;
Concipit hinc aeſtus maiores, naſcitur ergo
Sanguinis orgaſmus, qui dum rare facit omnes
Succos in vaſis contentos, ſanguinis inde
Craſſae particulae truduntur robore forti
In tubulos minimos, qui craſſas haſce recuſant
Et non admittunt naturae lege, fit ergo
In minimis iſtis tubulis praeſtructio, febrem
Iſtam producens tam ſaeuam, tamque malignam.
His ſimul accedit, quod potus ab igne caleſcens
Augeat, id Sulphur, quo ſcit Coffea valere.

§. VIII

§. VIII.

Sorbetur calide potus, donec ſolet artus
Sudor habere, ſeri multum prorumpit abinde
In cute, quae laxatur eo, decreſcit in illa
Hinc tonus, hoc fracto, cumulatur copia propter
Deiectas fibras, hinc fit ſtagnatio, quare
Vi calidi innati corruptio prouenit, illa
Vulnerat atque cutim rodit, rodendoque parua
Vlcera pruritu ſueſcunt prodire moleſta,
Mille modis corpus laedentia, febris acuta
Illis eſſe comes ſolet indiuulſus, et inde
Cuncta ſequi, cernis, quae ſupra ſcripta leguntur.

§. VIIII.

„ Praeſule romano Coffea potentior eſt, nam
„ Dummodo purpureos patres valet ille creare,
„ Sed non purpureas matres. Quas non modo Bonnae
„ Decoctum creat, at ſimul illud veſtit vtrumque
„ Purpurea tunica, quod non *Sanctiſſimus* audet.
Si miſcere iuuat cum dulcibus vtile rebus,
Seria iucundo licet immiſcere lepori:
Dummodo non inſint verbis blaſphema iocoſis.

FEBRIS
miliaris purpuratae
liber secundus.

---

§. X.

Explicitis igitur causis et origine labis
Exposita *febris miliaris* nomine dictae,
Quam neque cognouit Latium, neque Graecia vidit
Progredior tandem, vt vobis symptomata morbi
Illiusque typum monstrarem, et signa referrem,
Ex quibus euentum praedicere, siue malignum
Siue salutarem possitis. Vt ordine iusto
Procedam, quid sit *miliaris purpura* pandam.

§. XI.

Purpura, seu *febris miliaris* dicitur, esse
Morbus continuus nec non adfectus acutus
Stipatus maculis rubris, prurigine iunctis
Et rubeis papulis, ichore scatentibus albo
Sic, vt eae specie referant miliaria grana.

§. XII.

Ergo suum nomen *miliaris purpura* ducit
A milii specie, quam prae se ferre tumentes
Illius papulae consuescunt, atque colore

Purpu-

Purpureo, noſtris oculis quem ſtigmate multo
Purpureo maculata cutis texura tenellae
Exhibet. Hinc ob eas cauſas *haec febris* acuta
A medicis gnaris, *miliaris purpura* dicta eſt.

§. XIII.

Non ignorandum eſt: *Febres* inſtare maligni
Moris *purpureas miliares* nomine dictas,
Si languor corpus tenet, ac ſi corporis oſſa
Fracta forent, molemque pedes ſi corporis aegre,
Et vix ferre queunt, tenebras ſi lumen vtrumque
Sentit, ſi vertigo caput gyroſa moleſtat,
Aures ſi tinnire ſolent, faſtidia mentem,
Nec non anxietas pectus, ſi ſyncope vitam,
Sique ſtupor ſenſus omnes inuadere tentant.
Nauſea ſi vomitusque tenent, ſtomachumque prehendunt,
Turbidus et ſi ſit ſomnus, quem terror et angor
Atque pauor, ſtrepitus dentis, phantasmaque ſoluunt,
Sic, vt abinde quies aegrotis nulla reſurgat,
Sed potius languor pertentet corporis artus.

§. XIIII.

Febres purpureas miliares eſſe futuras
Sit tibi pro certo ſigno: Si corpus et artus
Saepe perhorreſcunt, vel multo frigore torpent,
Aeſtus ſi corpus, ceu Phoebus rura perurit,
Si ſitis adfligit nullo releuanda liquore,
Exſiccatque ſua torretque vredine fauces.
Torui ſique truces oculi ſunt, atque minantes,

Horridus adſpectu ſi vultus, ſique loquela
Ipſa eſt intercepta, ſimul deliria mentis
Si veniunt, ſpaſmus cynicus ſi diſtrahit ora
Sic, vt iurares hominem comediſſe furentes
Herbas, quas alit et profert ſardonia tellus.
Sique labore ſopor, plenusque pauore moleſtat,
Si ſunt excubiae releuante quiete carentes,
Sique omnes vires amittunt corporis artus
Sic, vt non valeat propria ſe ſponte mouere
A latere in latus hic orbatus viribus aeger.
Si premit anxietas, nec non anguſtia pectus,
Si fauces dolor ac ardor vehementius vrunt,
Anginamque creant, ſi dorſum et membra dolores
Tenſiuos ſentire ſolent, ſi ſtigmata multa,
Picta colore rubro, nimia prurigine iuncta
In cute prorumpunt, papulaeque ichore grauatae,
Quae cutis in facie ſurgunt, miliaria grana,
Formae reſpectu referunt. Aſt id genus, huius
Ad faciem cutis, excreti, praecordia, collum,
Et ſuperos artus, cum pectore ſueſcit habere.

§. XV.

Efflorere ſolent, exorta *febre* ſecundam
Poſtque diem quartam maculae, tunc intumet atque
Aſpera fit cutis atque rubet, pruritque, ſed iſtis
Exortis maculis rubris ſe ſaeua remittit
In cute prurigo, ſueſcitque remittere febris
Aeſtus paulatim, cutis inde madore beatur.

§. XVI.

§. XVI.

Verum ſcire decet: corpus ſudore madere
Ominis eſſe boni. Nam ſic difflatur in auras
Noxia materies, quae damnum ferre ſaluti
Aſſolet, vt pulſet mors atria. Forte diebus
Elapſis aliquot papulae ſiccantur, vt inſtar
Squammarum ſoleant cadere atque relinquere corpus.
Aeger pelle noua veſtitus viuere vitam
Incipit inde nouam, gaudetque ſalute recenti.

§. XVII.

Iſti ſubcumbit plerumque puerpera febri,
Imprimis, haec ſi dum foetum ventre gerebat
Otia dilexit valde, potusque calentes
Sorbillauit et his laxauit iuſtius aequo,
(Vt fluerent nimium ſudores) vaſcula, nec non
Oſcula, quae cutis oſtendit, ſub voce pororum.

§. XVIII.

*Febre*que corripiuntur *ea*, qui coelibe vita
Strictius vtuntur. *Febris*que ſuperuenit illi,
Qui ſaeuo morbo, nec non decumbit acuto,
Imprimis hic ſi calidi medicaminis vſu
Intempeſtiuo fuerit tractatus. Obeſſe
Internus calor ac externus ſueſcit in omni
Febre, poteſtque ſimul *miliarem* gignere *febrem*.

§. XVIIII.

Accidit interdum, vt *miliaris purpura* ſurgat,
Aeris ex vitio prognata, inuadere tentans
Innumeros homines ſua per contagia ſaeua.

§. XX.

Scire tamen refert: *Febrem* producere poſſe
Iſtam purpuream miliarem, quidquid in ipſo
Sanguine maiorem pollet generare calorem;
Et quidquid ſtimulare ſolet, curſumque ciere
Sanguinis, et nimium ſudores pellere, *febri*
Scit dare *natales miliari*, ſiue ſit extus
Membris adplicitum, ſumtum intus ſiue per os ſit.

§. XXI.

Iſta lues numerum certum, fixumque dierum
Non habet, obſeruat durandi tempora nulla
Certa, ſed iſta modo durat pro viribus aegri,
Et ratione mali, breuis eſt aut longa, Salutem
Affert, aut mortem, vel fit translatio, per quam
Saepe nouus morbus venit immedicabilis arte.
Nam poſt ſe varios rellinquit *purpura* morbos,
Quin ipſam mortem *miliaris purpura* gignit.

§. XXII.

Febres purpureas miliares eſſe pericli
Plenas, ſcire licet. Quamuis medicaminis vſu

Legi-

Legitimo fuerit depulſa, reuertere ſueſcit
Vsque tamen, iugulatque ſuo, Laniena veneno.

§. XXIII.

Abſurdum ſcitu non eſt, diſcrimen adeſſe:
Semipatente oculo ſi dormit *febre* prehenſus
Aeger, vt illius modo portio fulgeat alba,
Vel ſi viuaces oculus mutare colores
Incipit, vt plane turbetur vitreus humor.
Si rubet atque tumet, ſi torrida lingua fit, atque
Fiſſuras agit, et plane niger eſt color illi.
Horridus adſpectu ſi vultus, ſique minantes
Atque truces oculi ſunt, tempora ſi caua fiunt
Et collabuntur, ſi frigidus et fit acutus
Naſus, ſi frigus, ſi corrugatio vtrasque
Occupat auriculas, ſi concaua lumina fiunt.
Si nerui ſaliunt, ſi ſpaſmus concutit artus,
Neſcia ſi ſibi mens eſt, atque volubilis errat.
Aeger ſi loquitur delira, ſepultus in alto
Si ſomno recubat ſtupidus, nimiumque profundo,
Si grauiter ſpirat *miliari febre* laborans,
Si ſeſe retrahit pulſus, quandoque remittit,
Si tonus in membris vitalis deficit omnis.
Ad plantam vtriusque pedis ſi voluitur aeger,
Vrinam veſica ſuam ſi fundit, et anus
Absque voluntatis iuſſu ſua ſtercora mittit.
Si largus gelidus ſudor de corpore manat,
Si muſcas capit, et ſi floccos colligit aeger,

Nec

Nec non feſtucas vanas e pariete carpit, *)
Partes extremas ſi ſenſus frigoris vrit,
Si nimis internus coquit aeſtus viſcera, mors fit.

*) Non ignorari oportet: Coelium Aurelianum conſueuiſſe, decerptionem ex operimentis fimbriarum, ſiue floccorum collectionem, crocidiſmum nominare, et feſtucarum leuium a parietibus detractionem ſiue feſtucarum euulſionem, carphologiam appellare libr. I. morb. acut. cap. V. §. 48 pag. m. 19.

§. XXIIII.

Aſt haec eueniunt, quia retro *purpura* cedit,
Et quia materies venis abſorpta nociua,
Sanguinis infertur maſſae, qua noxa ſaluti
Naſcitur, imprimis ſi taugit nobile viſcus.
Omnia ſi fiunt quae commemorata leguntur,
Ante fores hylax vlulabit, noctua, cornix
Et genus infelix auium funebria fundent
Cantica, queis mortem, praedicent, eſſe propinquam.
Nam quia particulae putridae, quas ſpargit in auram
Exhalans foetum foeda putredine corpus,
Illorum nares feriunt, animantia mota,
Spe, veniunt, fore, vt his, ſint eſu pabula grata.

§. XXV.

Ominis eſſe boni, non ignorare iuuabit:
Si vigor et color eſt oculorum viuidus, atque
Naturalis, habet ſi tranſpiratio corpus
Lenis et aequalis, ſi mens eſt conſcia rerum,

Sique

Sique loquela valet, ſi reſpiratio conſtat,
Nec grauis eſt, et ſi moderatior aeſtus adurit,
Et ſi vis vitae viget aegri, cedere retro
Haec vt non poſſit *miliaris purpura*, ſi mens,
Et ſomnus perturbantur phantaſmate nullo:
Tunc ſpes eſt, fore, ut *haec* ſuperetur *febris* ab aegro.

§. XXVI.

Aluus ſtricta, bonum ſignum eſt, ſi *purpura* floret;
Profluuium contra nocet alui. Namque repellit
Illud *purpureas miliares* e cute *labes*.
Aures ſi ſurdae fiunt, et in aure parotis
Si venit, abſceſſus ſi ſurgunt, ſpes bona fulget.
Nam ſic colligimus: quod ſit translatio *labis*
Corporis ad partes externas facta, malignae.

§. XXVII.

Verum ſcire licet: conſumtis viribus aegri,
Purpuream febrem miliarem cedere retro,
Et morbum longum, et chronicos producere morbos,
Quin ſaeuae mortis diſcrimen, triſteque fatum:
Imprimis *haec* ſi vitalia viſcera tangit,
Haecque petit bibulis a venis *purpura* ſorpta.

§. XXVIII.

Ad caput et partes eius ſi *purpura* retro
Ceſſa ruit, caput inde grauat, diroque dolore
Illius partes exercet, easque fatigat.

§. XXVIIII.

§. XXVIIII.

Noxia materies *miliaris febris* habere
Si ſueſcit cerebri tunicas, ſub voce meningum,
Retrolapſa, venit conuulſio ſpaſtica, vultum
Et totum corpus conuellens, coma, carusque
Lethargusque premunt, apoplexis ſubprimit omnes
Vitales ſenſus, animales deiicit omnes,
Sic, vt mors veniat, niſi retro *purpura* ceſſa
Auxiliis medicis reuocetur. Saepe fit iſta
Vt *febris labes* oculos petat, vſus in illis
Luminis vt pereat. Si retro *purpura* greſſa
Auditus neruos inuadit, in aure perire
Aſſolet auditus. Tumet, abſceſſuque parotis
Deſtruitur, *febris miliaris* noxius humor
Si cadit ad glandes ſub eodem nomine notas.
Vox ſilet, ad linguae neruos ſi *purpura* fertur,
Anginamque parit ſi fauces occupat, aſthma
Prouenit in viſcus pulmonis ſi cadit, atque
Conſtringens iugulum ſueſcit prodire catarrhus,
Tophos, abſceſſus, vomicas tubercula, pulmo
Continet, his oritur phthyſis immedicabilis arte.

§. XXX.

Noxius in diaphragma *luis* ſi labitur humor
Inde ſtatim viſcus lethalem concipit ignem,
Triſtes ſingultus veniunt, ſphacelusque reſurgit.

§. XXXI.

Adgrediens pleuram *miliaris purpura* retro
Lapſa, parit morbum pungente dolore moleſtum,
Quod genus a medicis pleuritis acuta vocatur,
Et peripneumonicus ſociatur morbus acutus
Si pulmo ſimul in conſenſum ducitur, atque
Illuuiem patitur *miliaris febris*, et illa,
Et peripneumonicus morbus, pleuritis acuta
Inter ſe ſueſcunt ſemper, mirabile viſu,
Conſpirare, venit pus, inflammatio ſurgit,
Naſcitur abſceſſus, ſphacelus cum morte creatur.

§. XXXII.

At ſi ventriculi tunicas habet illa repulſa
Purpura, ſi neruos tenet, inteſtina fouere,
Quos ſueſcunt, oritur dolor intolerabilis, ignis
Lethifer exſurgit, gangraenaque morsque reſultant,
Interiora premunt flammae, ſed frigora multa,
Exteriora tenent. Tunc mors in limine pulſat.

§. XXXIII.

Sique meſenterii glandes laeduntur ab *illa*
Labe venire ſolent obſtructio, pure repletus,
Abſceſſus, ſcirrhus durus, corruptio, morsque.

§. XXXIIII.

Purpura ſi retro cadit e cute, corque ſubintrat,
Prodit concutiens epilepſis corporis artus,
Inducens aegris lethum miſerabile viſu.

§. XXXV.

§. XXXV.

Labitur in iecur et ſplenem *miliare venenum*,
Et parit abſceſſus, ſcirrhos variosque tumores
His in viſceribus, tunc morbus regius artus
Inficiens croceo, nigroque colore reſurgit.
Nunc abdomen aquis hydrops pronaſcitur implens,
Hectica nunc oritur febris, quae membra calore
Lento, profluuiis alui, ſudoreque ſiccat.

§. XXXVI.

Veſicamque petit *miliaris* noxia *labes*
Et generare ſolet mala millia, ſcilicet inde
Mictus ſubprimitur, dolor ingens occupat ipſam
Veſicam, tenet hanc abſceſſus pure grauatus
Haec inflammatur ſic, vt mors congelet artus.

§. XXXVII.

Purpura matricem ſi retropulſa prehendit
Spaſmis horrendis corpus conuellitur, atque
Vlcera proueniunt, gangraenaque morsque reſurgunt.

§. XXXVIII.

Labitur in renes virus miliare recedens,
Et deuaſtat eos, vt prauo pure liqueſcant.

§. XXXVIIII.

§. XXXVIIII.

At fieri ſolet, vt virus miliare repulſum
Occupet articulos, horumque ligamina tangat
Sic, vt in his pungens oriatur ſenſio, nec non
Prodeat arthritis fera, contractura reſultet.

§. XXXX.

Verum ſcire iuuat: deuicta *febre* tumores
In cute pronaſci tota. Diſcriminis expers
Eſſe ſolet nunquam *miliaris purpura.* Namque
Hepatis abſceſſus, nodos, ſcirrhosque lienis,
Vlcera pulmonis, vomicas tubercula tophos,
Atque meſenterii labes, vitiumque cruoris
Hyſtericos morbos, poſt ſe ſpaſmosque relinquit,
Et plures alios, quos enumerare profanum
Abſurdumque foret, quoniam breuis eſſe, laboro.

FEBRIS miliaris purpuratae liber tertius.

§. XXXXI.

Historia *morbi* memorata, dicere reſtat,
Commoda quae methodus ſit, quae curatio *febri*
Iſti conueniat *miliari*, quaeue diaeta
Apta ſit, et quodnam regimen conducere poſſit,
Quod genus auxilii valeat reparare ſalutem,
In cura quaenam ſeruari cautio poſſit:
Ne laeſiſſe magis quam conſeruaſſe profanum
Accuſet vulgus medicos ratione valentes.

§. XXXXII.

At medicus fuerit ſi factus certior iſtis
Signis, *purpureas miliares* eſſe futuras
Febres, intendat neruos, vt noxius humor
Sanguinis in maſſa latitans erumpat in artus
Summos ſub ſpecie rubicundi ſtigmatis, atque
Pure refertarum papularum, grana referre
Suetarum milii. Proruptis in cute rubris
Stigmatibus, papulisque rubris, ſit cura medentis,
Efflorataram, ne retroceſſio fiat.

§. XXXXIII.

§. XXXXIII.

At ſi forte retro *miliaris purpura* ceſſit,
Expellenda cito, ne maius abinde periclum
Prodeat, aut mortis diſcrimen. Oportet et ipſam
Humorum maſſam, medicum, purgare medelis
Huic oppurtunis *labi*, ne forte recurrat
Purpura legitima methodo ſanata. Redire
Aſſolet, et redeundo ſolet diſcrimen habere.
Ergo nouos ſtudeat medicus prohibere recurſus,
Ne morbi veniant *miliari* a *febre* creati
Praecaueat; Nam non alienum eſt: linquere, poſt ſe
Quod morbos chronicos *miliaris purpura* ſueſcat.
Attamen exorti fuerint ſi denique morbi
Poſt *iſtam febrem miliarem*, muneris eſſe
Vsque ſui memorem, medicum decet, hisque mederi,
Laedere, quae corpus poſſit, ne mica ſuperſit.

§. XXXXIIII.

Tandem a *purpurea miliari febre*, medentis
Cura, deiectus tonus eſt reparandus, vt huius
Iudicio veniat ſpes exoptata Salutis.

§. XXXXV.

Iſtos mente ſcopos teneat, medicusque reuoluat,
Eius ne culpa veniat iacturaque, morsque,
Neue ſuae famae maculam fortaſſis inurat,
Dum dat peſſum aegri, *miliaris purpura*, vitam.

§. XXXXVI.

Quae modo cunque queunt *labem* deducere verſus
Exteriora cutis, dare conuenit. Ergo paretur,
Ex ſudorifero ſtibio, conchisque marinis
Atque nitro, puluis, modo qui moderatur et aeſtum,
Atque mouet blandos ſudores, ſi datur ille
Alternis horis cum conueniente liquore,
Scordia, ſambucus, qualem, ſcabioſa, galega
Fundunt ſtillando: Iuuat illis addere citri
Vel ribium ſuccos, et mel, vel potio fiat
Succo ſambuci adiecto ſuper igne ſecundum
Artem inſpiſſato, iungatur ſpiritus hiſce
Sambuci atque nitri. Mixturae ſimplicis, horis
Da matutinis, doſin, lenemque madorem
In lecto expectare iube. Sic in cute ſumma
Si florent maculae rubicundae, camphora danda eſt
Atque nitrum, lapides cancrorum, tunc dare, refert,
Sulphuris aurati granum, vel iungere praeſtat
Omnibus his aurum ſortitum a fulmine nomen.
Aut ex laudatis liquidis cum ſemine napi
Cannabis atque papaueris albi emulſio fiat.
Offer cum vino myrrham, ſi *purpura* tardat
Efflorere, retrolabi vel ſi cupit. Hiſce
Auxiliis *labes* expellitur, hisque cauetur
Ne retrocedat *miliaris purpura* verſus
Interiora, petatque eius, cor, pectora, virus.

§. XXXXVII.

§. XXXXVII.

Ante erumpentes maculas ſi pectoris vrget
Anxietas, vel ſi poſt retro forte ruentem
Labem purpuream miliarem pectora torquet,
Mox oleum, quod amygdala preſſa dat, offer
Camphora coniungatur ei cum ſpermate Ceti
Pectoris anxietas ſubfocatiua, recedet,
Liber et euadet pulmo, ſpiratio ſeſe
Anxia, anhela, frequens, breuis, interrupta remittet.

§. XXXXVIII.

Sanguineam maſſam vitiata labe ſcatentem
Expurgare decet medicum, ne *purpura* poſt ſe
Morbos rellinquat, vel iam ſanata recurrat.
Ex ſcorzonerae, chinae radiceque ſarſae
Et cornu cerui raſo decoctio fiat,
Hordea coniungi poſſunt illis vel auenae,
Atque dari potum. Purgantur labe referti
Humores iſto decocto, ſicque recurſus,
Et varii morbi prohibentur *febre* creandi.

§. XXXXVIIII.

Propter vim vitae languentem viribus aegri
Exhauſtis, aut ob frigus ſi *purpura* retro
Ceſſit, *eam* medicus prudens reuocare laboret
Auxiliis ſupra productis, oreque ſumtis.

 Exter-

Externis mediis reuocetur *purpura* retro
Lapſa, fricando cutim pannis, illamque ſi napi
Rubram reddendo, veſicas cantharidum vi
In cute producendo, ſero lymphaque repletas.

§. L.

Deiectus tonus vt ſuperata *febre* viciſſim
Reſtituatur, opus medici ſit, cura, laborque.
Dentur, quae vires augent medicamina, dentur
Nutrimenta, quibus noua vis in corpore ſurgat:
Pharmaca conueniunt, quae confortando iuuabunt.
Hinc prodeſſe volunt ceraſum nigrum, rubus idae,
Cinnama, fraga placent, ſeu dent ſtillando liquores
Attamen absque mero, ſeu dent cum melle ſirupos.
Dulcia vina iuuant guſtu, carnesque ferarum,
Et proſunt carnes iuniorum, et iuſcula facta
Ex his, exhauſtum morbo nutrire valebunt
Corpus, ſic tonus et vigor, et vis arte redibunt.

§. LI.

Ventriculus pariter ſolari debet amaris
Extractis, liquido cum conueniente ſolutis.
Nam ſi ventriculus valet omnes corporis artus
Se bene habere ſolent, quoniam nutritio perſtat.

§. LII.

Principio tenuem et morbo praeſente diaetam,
Non adeo calidum regimen ſeruare ſalubre eſt.

Nam-

Namque calor nimius lecti potusque nocere
Conclauisque ſolet, quia reddit debile corpus,
Ac eneruatum nimius calor, atque reſoluit
Vim vitae ſic, vt *miliaris purpura* retro
Labatur, mortisque ferat diſcrimen. In omni
Re ratio valeat, ſit temperiesque modusque.

§. LIII.

Quae ſunt ſeruandae cautelae, dicere reſtat,
Dum vexat *febris miliaris, purpura* dicta.

§. LIIII.

Abſurdum eſt, *hoc* in *morbo* pertundere venam,
Effluat vt ſanguis. Verum cruor in caput eius
Perueniat, rubeos qui ſuccos mittere tentat,
Purpura dum floret. Nam tales opprimit aegros
Qui iubet incidi venam, quia *purpura* retro
Labitur, atque necat retrocedendo. Iuuabit,
Aſt in principio *morbi*, ſi ſtigmata nondum,
Si papulae nondum eruperunt, ſectio venae,
Si plethora iubet mittatur ſanguinis humor,
Et ſi ſubprimitur lochialis fluxio, miſſum
E vena inciſa laticem prodeſſe, ſciendum eſt.
Tutius eſt, nunquam venam pertundere, *febris*
Si *miliaris* adeſt, ſi tangit *purpura* corpus.

§. LV.

Artubus admiſſum frigus, nocet, idque repellit
Labem purpuream miliarem, frigida ſumta

Interne faciunt, vt retro *purpura* cedat.
Ne des in doſi magna nitroſa, cauendum eſt.
Et potus gelidos aegris concedere velle,
Abſurdum eſt, illis retinetur noxius humor
Sic, vt non poſſint cutis exteriora rubere
Stigmatibus rubris, ſed ſi rubra *purpura* floret
In cute, tunc, fieri ſcit retroceſſio, mortem
Inducens aegris. Moderatus ſit calor ergo
Lecti, conclauis potusque. Pathemata mentis
Sunt fugienda. Metu, nec non terrore relabi
Labem purpuream miliarem poſſe, ſciendum eſt.
Sit patiens animus tranquillus, ſitque quietus.
Nam ſic deuinces *morbum*, ſic rite valebis.
Internasque ſtude calidas vitare medelas,
Sanguinis orgaſmus fit eisdem, fortior, atque
Purpura deterior cum vitae labe creatur.
E cute ſi vero fugit atque relabitur iſta
Purpura, tunc praeſtat calidi medicaminis vſus,
Eius ope vt verſus cutis exteriora feratur
Noxia materies *miliaris*, ſicque leuetur
Pectoris anxietas, quam retroceſſio fecit.

§. LVI.

Aluus non ſtimulanda, licet praeſtructa ſit, ipſo
In morbo. Verum ſi clauſa diutius aequo
Aluus fortaſſis fuerit, ducenda benignis,
Eſt laxatiuis, et in hanc eſt lotio danda
Quae placide mollit. Saponem, ſacchara, nitrum
Qui modo habent, globulis, cum fructu conuenit vti:

Aſt

Aſt ea, ſum ſuaſor, ne fiant cuncta priusquam
Poſt exſiccatas papulas, planeque cadentes:
Contra qui ſtimulis mouet aluum ſtigmata rubra
In cute dum florent, vt retroceſſio fiat,
Efficit hac methodo quauis ratione carente,
Et tunc de corio maculato luditur aegri
Ecce! ſtat in manibus medicorum vitaque morsque.

§. LVII.

Si poſt ſanatum *morbum* largiſſimus adſit
Sudor debilitans corpus ſit cura laborque
Vt compeſcatur, ne *febris* lenta ſequatur,
Cum ſucco citri ſaturatas porrige conchas,
Vſtaque cum duris hyacinthis cornua cerui,
His nitrum nec non coniunge corallia rubra.

§. LVIII.

Erectus nunquam *miliari labe* laborans
Purpurea ſedeat, ne mens ſtupefiat in aegro,
Atque ob deliquium ne retroceſſio fiat.
Nam ſitus erectus ſolet omnia laedere acuta
Morborum genera: At reſupinus conuenit aegris.

§. LVIIII.

Intumet abdomen, cutis intumet, aduenit hydrops,
Poſt *febrem*, imprimis ſi tranſpiratio propter
Admiſſum frigus, propterque pathemata mentis,

Aut alias cauſſas prohibetur. Conuenit ergo
Subpreſſam reuocare cito, ſeruareque praeſtat
Praeſentem, ne forte malum graue ſurgere poſſit.
Radicem rubiae cum citri cortice, nec non
Cinnama cum grato coriandi ſemine, praebe,
Illis ſerpillum, nec non coniunge meliſſam
Inciſis nec non contuſis omnibus iſtis
Infuſum fiat, calideque bibatur ab aegro.
Roborat hoc corpus tubulos conſeruat apertos
Sic, vt procedat bene tranſpiratio, pellit
Vrinam, purgat vitiatam ſanguinis atque
Humorum maſſam, recidiuam praecauet illud.

§. LX.

Haec de *purpurea miliari febre* maligna
Sufficiant dixiſſe

Deo ſit gloria lausque.

Ad
Virum admodum reuerendum
Dominum,
DOMINVM
FRANCISCVM
FERDINANDVM
VITTIBER
Saganensem,
Canonicum regularem Ordinis S. Augustini
congregationis lateranensis et Capellanum
ad D. V. Sagani.

De
Vulnerum
HEPATIS
lethalitate
Carmen.

Altius in iecoris viscus descendere mucro
Suetus, discrimen mortis habere solet.
Tacta tamen leuiter iecoris pars summa vel ima
Quauis mortifera labe carere potest.

Omnes

Omnes *aequa* manet *mors*, omnes *mors* manet *vna*:

Mille tamen ſpecies ſunt, quibus *illa* venit.

A. R. S. cIↄ Iↄ CC LIIII

Collegio medico et Sanitatis, quod Rex Boruſſorum optimus Megaglogouiae conſtituit, pro capeſſendo Phyſicatu ſpeciminis loco, exhibitum.

De

De Vulnerum HEPATIS lethalitate Carmen.

Hippocrates aph. XVIII ſect. VI.
Hepate pertuſo mors fit certiſſima ſemper.

§. I.

Ille egò, qui *iecoris* tractabo *vulnera*, mortem
Quae ſueſcunt afferre, volo praemittere pauca
De *iecoris* vera natura, conditione,
Structuraque, ſitu, ſtationeque, munere, nexu,
Et de conſenſu, quem viſcus ſueſcit habere
His cum viſceribus, cauitas abdominis in ſe
Quae gerit, et quaeuis aduerſus fata tuetur,
Illis praemiſſis, manifeſtum fiet, acutis
Vulnera cur *iecori* gladiis inflicta, vel aere,
Quod vomit igniſpuum tormentum fulminis inſtar,
Horribilis mortis ſoleant inducere fatum.
Hinc curae mihi ſis *diuina ſcientia* primum,
Quae tradis methodum ſcindendi funera ferro.
Huc ades, atque faue *diuina ſcientia* Vati!
Nam Tu ſola potes medici ſubcurrere coeptis.

§. II.

§. II.

Ast, *imi ventris viscus graue pondere*, *magnum*
Structura, *iecur* est, iacet *hoc* sub fornice dextro
Septi transuersi, quod amat diaphragma vocare
Graecus, sic tamen, ut tangi queat illa sinistro
Cartilago lobo, quae Xyphöidea vocatur.

§. III.

Esse superficies consuescit gibba suprema
Nec non aequalis, facies, caua cernitur ima
Quid quod? inaequalis *iecoris*. Sed glandula multa
Est in parte caua, fellisque, tenetur ab illa,
Folliculus, qui bile tumet, spissaque superbit
Quid quod? amaritie gaudet, quam lingua sapore
Detegit insigni pollens. Hic, balsamus esse
Nec non detergens sapo consuescit, amaror.

§. IIII.

Pars *iecoris* conuexa lobis diuisa duobus,
Et caua pars pariter lobulo discreta minore
Cernitur, huic nomen fecit Spigelius olim,
Cui prope sunt gemini lobuli, qui nomine portae
Gaudent, antiquosque pylas dixisse, sciendum.
His tamen est nomen, quia portae vena subintrat
Hepar bilificum, quod sanguificasse putatum est
Antiquis medicis. Has portas maximus inter
Venarum fluuius simili cognomine portae
Dictus adit *iecur*, et toto demergitur illo,
Dispergensque sinus per *visceris* intima serpit.

§. V.

§. V.

Diuiditur *iecur* in dextram, partemque ſiniſtram:
Verum, craſſitie ſuperat pars dextra ſiniſtram.

§. VI.

Conſenſum memorare iuuat, nexumque referre
Me non poeniteat *iecoris*, quos nutrit alitque
Hoc cum viſceribus, quae venter continet imus.
Hepar coniugii foedus conſueſcit inire
Vi ſuſpendentis dextrae ligulaeque ſiniſtrae
Cum tranſuerſali ſepto, diaphragmate, dicto.
Perque ligamentum, quod nomen habere rotundi
Aſſolet, interius *iecur* hoc cum fune cohaeret,
Qui quondam foetus, aduecto ſanguine, vitam
Seruabat, funem vero tenet omphalos illum.
Aſt ope membranae propriae connectitur *hepar*,
Poſterius ſepto, quod tranſuerſale vocatur.
Per ſua vaſa *iecur* ſcit conſentire viciſſim
Cum vena portae, cum vena, quae caua dicta eſt.
Membrana propria veſtitum cernitur *hepar*,
Quae peritonaei vult continuatio dici.
Capſula, cui dederat gliſſonia nomina Gliſſon
Eſt peritonaei ſoboles et mira propago;
Multus in hac numerus ramorum ſurgere ſueſcit,
A vena, ſolitus natales ſumere portae.
Huic ſunt biliferi ductus, arteria in illa
Obuenit, a medicis noſtris *iecoraria* dicta:
Iſta prope ac intra *iecur* omnia, capſula condit.

§. VII.

§. VII.

Verum, vaſorum numeroſa mole beari
Hepaticum viſcus longe voluiſſe ſagacem
Naturam, conſtat diſſecto funere: Dici
Qua de re merito *iecoris* ſtructura meretur
Maxima congeries vaſis glomorata tenellis
Sic, ſit vt illa globo glomerique ſimillima, multis
Compoſito ex filis netricis ab arte locatis.

§. VIII.

Quae nutrire ſolet *iecur*, eſt arteria multa,
Eſt a coeliacis, diaphragmaticisque reſurgens,
Atque meſenterica ſupera. Eſt arteria multa,
Quam *iecori* magno tranſmittere cyſtica ſueſcit.
Venas a Portae vena *iecur* accipit, illa
Parte caua *iecoris* demergitur aptaque nata eſt
Vt ſimul eſſe queat vena ac arteria, nec non
Exercere vices illius et inſimul huius:
Haec quoque ſubpeditat *iecori* donatque cruorem,
Ex quo ſecerni poſſit bilis, liquor iſte
Balſamicus vires imitans ſaponis. In hepar
Innumeras venas deponere ſcit caua vena.
A diaphragmatica venas trahit hepar. At illa
Fungitur officio, rubeum ſorbere cruorem
Iſtum, qui ſupereſt, et eundem reddere cordi.

§. VIIII.

Ne deſint *iecori*, voluit ſapientia, nerui.
Intercoſtalis nerui *iecorarius* ille

Ple-

Plexus, neruorum largitur ſtamina multa.
Vaſaque, quae bilem ducunt habet *hepar*, et illa,
Glandula multa tenet. Non ignorare iuuabit;
Haec bilis ſuccum ducentia vaſa canales
Eſſe, quibus pariter non deſunt nomina certa,
Primus communis, ductusque choledochus audit,
Oblique ſeſe duodeno iungere ſuetus.
Cyſticus eſt ductus, qui gaudet ſede ſecunda,
Hic ex folliculo fellis venit, atque canalem
Ingreditur dictum communem, denique ductum
Angulus inſinuat, iungit, committit acutus
Hepatico, praemunit eum quoque glandula multa
Diuerſi generis circa collum ſita fellis
Folliculi. Varios ſerpentum more recuruos
Flexus ductus habet cognomine cyſticus, atque
Tertius hepatici ductus ſub nomine notus
Eſſe ſolet, recto qui tendit ab *hepate* curſu
Verſus communem. Diſſeminat ille frequentes
Ramos per *iecoris viſcus* ſub voce pororum,
Ducere ſuetorum tenuiſſima flumina bilis.

§. X.

Et natura dedit *iecori* lymphatica vaſa
Plurima, quae lympham capiunt, qua cyſtica bilis
Lentore hepaticam ſuperans tenuatur, amaro:
Haec ſe cyſternae lumbaris vortice mergunt.
Maximus et venae portae ſinus, atque canalis
Venoſus, quos foetus habet, non iure tacendi
Sunt vllo. Verum, ſinus hic creſcentibus annis
Et quoque venoſus deletur vterque canalis
Sic, adoleſcenti, vt veſtigia nulla ſuperſint.

§. XI.

Aſt, a parte caua *iecoris* veſicula fellis
Fota, ſimul quum ſit variis ob noxia plagis,
Non erit abſurdum, verum magis vtile, noſſe
Cyſtidis hiſtoriam, quam commemorare profanum
Non erit. Haec ouo gallinae vix ſolet eſſe
Maior, et haec ope membranae communis habere
Conſenſum ſolet, et per ſic communia dicta
Vaſa fouet *iecoris* cum viſcere foedus amicum:
Hinc ea vaſa ſolent hic cyſtica vaſa vocari.
Sunt ita folliculi collum, fundusque canalis
Cyſticus et frenum, ſtructuraque cyſtidis ipſa
Commemoranda mihi, me praeteriiſſe quid, vlli
Ne, quid et intactum ſtudio liquiſſe, viderer.
Refert ſcire: Velut collum ſphinctere coërci
Et ſurſum verſus ſpectare, ſuperque iacere
Colo, quod bilis tinctura pingere ſueſcit:
Sic eius fundum quoque dependere deorſum
His, quibus eximiae naturae maximus auctor
Et Deus os ſublime dedit, coelumque tueri
Iuſſit, et erectos ad ſidera tollere vultus.
Cyſticus expoſitus tubus eſt in commate nono,
Hunc ductum frenum ſueſcit coniungere fellis
Folliculo. Sed de fabrica iam dicere fas eſt
Cyſtidis. Ex quatuor membranis texitur illa,
Quarum communis, membranula prima vocatur.
Ex cellis vaſisque venit conflata ſecunda:
Quare membranae dant cellae vaſaque nomen.
Ordine ſubſequitur membranula tertia, fibris

Texi

Texitur ex rectis, obliquis texitur illa
Ex fibris variis, ceu fortis mufculus, a quo
Accepit nomen. Membranaque, neruea, quarta,
Dicitur a medicis, haec monitrat retia, rugas
Interius, minima numerofa glande beatur.
Iftam membranam mucofum lubricat vnguen,
Illi ne bilis creet acrimonia noxam.
Verum, ftructura fimili gaudere folere
Biliferos ductus, infpecto vifcere, conftat.

§. XII.

Eft tempeftiuum: de vifceris *hepatis* vfu
Dicere pauca. Placet, iam fellis cyftidis vfum
Enarrare breui fermone, iuuatque, referre
Quaedam de bilis fimul vtilitate gemellae,
Quam praeftare folet, dum tranfit ad ilia bilis.
Non ignorandum eft: ex fanguine, qui datur ipfi
A vena portae *iecori*, componere bilem
Indole balfamica, faponis et indole foetam,
Nam vis balfamica eft et faponacea bili,
Et duplicis generis bilem fecernere, munus
Hepatis effe. Vices commiffas effe, fciendum,
Fellis folliculo, fecretam ducere bilem,
Hanc feruare mora longa, propellere tandem
Et per biliferos duodeno infundere ductus
Bilem balfamicam, faponis viribus aequam.
Bili balfamicae, vires faponis habenti
Incumbit, partes aqueis coniungere pingues,
Ex hoc coniugio lac vt nafcatur et humor

Commodus enutrire ſua dulcedine corpus:
At liquor iſte venit medicis ſub nomine chyli.
Fungitur officio, chyli tenuare liquorem,
Inteſtinorum lentos incidere mucos,
Nec non illorum mucos abſtergere foedos,
Quid, quod? amaritie lumbricos ventre fugare,
Ac inteſtinis, ſtimulos acredine factos
Addere, quisquiliae cedant vt ventre ciborum,
Nec non praedominans acidum pertundere chyli.
Scire licet: duplicem bilem dare, ſcilicet vnam
Hepaticam medici dixere, ſapore benigno
Quae valet, atque minus conſueſcit ſpeſſior eſſe.
Altera vult contra apellari cyſtica bilis:
Haec eſt ſpiſſa magis, magis eſt ſaturatâ colore,
Quid, quod? amaritie didicit ſuperare priorem.

§. XIII.

Hepatis ac fellis ſic dictae cyſtidis aeque
Vſibus, hiſtoriisque elatis, ad vulnera iamiam
Tranſeo, quae diuus Cous lethalia dixit,
Mors fit, ait, quando laeduntur vulnere quodam
Ventriculus, nec non cerebrum, diaphragmaque, corque
Ac inteſtinum tenue, ac veſica, *iecur*que. *)
Mortiferum *iecoris* vulnus plerumque creatur
Vaſis innumeris *iecoris* dum viſcus abundat. **)
Hepar enim grauiter laeſum reparare quis audet?
Aſt, modo de *iecoris* lethali vulnere dicam,
Vulneris ante tamen generalis notio danda eſt,
Eius quo melius cuiuis natura pateſcat.

§. XIIII.

*) Aph. 18. ſect. VI. **) §. VII.

§. XIIII.

Eſt vulnus partis mollis diuiſio, fluxu
Sanguineo ſtipata, recens, violentaque, facta
A cauſſis duris, motis, preſſis et acutis.
Vulnera ſunt igitur vel ſanabilia, vel ſunt
Vulnera, quae mortem ſueſcunt inducere caſu,
Sunt quoque natura lethalia vulnera quaedam.
Cheirurgis vulnus ſanabile dicitur illud,
Quod manus auxilians ſanat, medicinaque curat.
Sed caſu factum vulnus lethale vocatur
Id; quod ſanari potuiſſet, et arte manuque
Ni, ſymptomatibus grauioribus, inque diaeta
Commiſſo vitio, nec non errore medentis,
Vel quoque temperie morboſa vulnere tacti,
Aegrotique, anceps curatio facta fuiſſet.
Mortiferum tamen ex natura vulnus habendum eſt,
Multum, ſi praeciſa pluunt, funduntque cruoris
Vaſa, grauis, vires frangans, vt noxa ſequatur,
Si neque cheirurgus, neque pharmaca ſiſtere ſueta
Sanguinis effluxus, ad laeſum tendere viſcus
Internum, arte, manu, ferro, virtuteque poſſunt.

§. XV.

His ita praemiſſis, compulſus ab ordine rerum
Ad vulnus *iecoris* pungendo laedere ſuetum
Transeo. Percuſſum vero *iecur* eſſe, ſciendum,
Si coſtis ſpuriis in dextra parte locatis
Inflicto gladiis ex vulnere fertur eundo
Multus et obſcurus cruor, exhaurire fluore
Suetus percuſſi vires, ſi pulmo moleſte

Spirat, et insugit vitales aëris escas,
Si premit anxietas, dolor et vehementior angit
Adscendens iugulum, scapulas et pectora summa,
Si sanguis vomitu, si sanguis redditur ano,
Si bilis vomitur, si bilis flaua cacatur,
Si fluit ex ipso mera bilis vulneris ore,
Saepeque si vires animae linquuntur, in aegris
Si febris surgit suescens inducere mortem.

§. XVI.

His, qui percusso moriuntur ab *hepate* mors fit
Illis ex caussis, quia fluxus sanguinis imi
In ventris stillans cauitatem flumine pleno,
Nullis auxiliis compescitur, arteque nulla
Et nulla manuum prohibetur fluxio, cura.
Ex hoc dum vires franguntur flumine, vitae
Viribus exhaustis, e corpore spiritus exit.
Ergo rapit vitam penuria sanguinis ipsa.
His intelligitur manifestius: *hepatis* esse
Vulnus mortiferum, praeprimis illud, in *hepar*
Si laedens ferrum mucrone profundius iuit.

§. XVII.

Verum, nunc patitur *iecoris* substantia vulnus,
Et nunc accipiunt *illius*, vulnera, vasa.
Quare diuisit veterum sententia vulnus,
In vulnus, quod habet *iecoris* substantia, nec non
In vulnus, quod habent *illius* vasa. Vocauit
Casu mortiferum, quod habet substantia vulnus:
At quod vasa tenet *iecoris*, pronuntiat, esse
Vulnus mortiferum naturae lege. Sed illa

Futi

Futilis esse solet veterum diuisio, fallax
Horum iudicium, nec non sententia falsa.
Nam quoniam vasis numerosis *hepar* abundat *)
Nunquam percutitur *iecoris* substantia sola,
Vsque simul *illius* vasa laborant
Sangui fluis, laedens inprimis altius intra
Viscus si mucro penetrauit. Abinde patescit:
Quod sit lethalis *iecoris* substantia semper
Vulnere laesa, sequi quia suescit magna cruoris
Fluxio, qua, fuso cum sanguine vita fugatur.

*) §. VII et XIII.

§. XVIII.

Ast, inter *iecoris* vulnus leue, quodque profunde
Non penetrare potest in *visceris* intima, sed quod
Lene, superficiem modo tangere suescit, et inter
Vulnus descendens intra *iecur* altius aequo,
Est distinguendum. Distinctio commoda perquam
Haec est vulneribus, quae ferris accipit *hepar*.
Hepar enim leuiter percussum maxima vasa
Scissa referre nequit: Sed si lethale fit *hepar*,
Lethalis fieri suescit modo laesio casu,
Arte tamen *iecoris* leuiora haec vulnera possunt
Sanari, nec non valet excusatio. Contra
Laesio, quae tangit, penetratque profundius ipsum
In *iecoris viscus* per se lethalis habenda est.
His ita percipitur: *iecoris vulnus leue casu*
Mortiferum fieri: per se lethale putandum
Vulneris esse genus, quod visceris intima laedit.

§. XVIIII.

Aſt, vbi percuſſum medium *iecur* eſt, vbi laeſi
Rami maiores vaſorum ſunt, vbi bilis
Ductus praeciſi ſunt, et veſicula fellis
Vulnere correpta eſt, vulnus lethale vocatur.
Hinc penetrauerunt quia talia vulnera iuſto
Altius in *iecoris viſcus*, quia habere recuſant
Auxilii genus, haec lethalibus eſſe, medentes
Annumeranda putant. Valet excuſatio nulla,
Vulneris effectus ſi magno ſanguinis imum
In ventrem cumulo profuſo, funere ſecto,
Noſcitur. Ex ipſa natura vulneris huius
Nil fluit, auxilio quod poſſet et arte parari,
Vlla valetudo bona reſtituatur vt aegris.

§. XX.

Summa quibus *iecoris* pars aut extrema prehenſa
Vulnere, ſed leuiore tamen percuſſa laborat,
Illis adfulget ſpes exoptata ſalutis:
Vulneris et genus hocce ſuperficiale vocatur.
Et quia non multum confluxit ventre ſub imo
Sanguinis effuſi, iuuat excuſatio multum. *)

*) §. XVIII.

§. XXI.

Hepate percuſſo, profuſio ſanguinis aegrum
Momento iugulat, vel ſi ſit vita ſuperſtes
Spiritus inſigni molimine, cumque dolore
Ducitur, ipſe dolor ſueſcit punctorius eſſe,
In lateris dextri dextra regione vigere,

Ad

Ad ſummum ſurſumque ſolet conſcendere pectus. *)
Aſt, ſi magna ſuper venit inflammatio, ſcire
Refert: ictericos fieri tunc corporis artus.
Aſt, vbi laeſa ſimul veſicula fellis habetur,
Atque viae ſi ſunt praeciſae, felleus humor
Per quas euacuat ſe, effertur vulnere bilis.

*) §. XV.

§. XXII.

Per coſtas ſpurias penetratum vulnus ad *hepar*
Quod gibbam *iecoris* partem percuſſit, in illam
Non aliter potuit deſcendere, quam male laeſa
Septi tranſuerſi carnoſa parte. Sed id ſi
Accidit, exoritur duplicatum vulnus; et illa
Quamuis ſanari potuiſſet plaga, ſub ipſa
Septi tranſuerſi carnoſa parte ſtetiſſet
Si ferrum laedens: tamen illud, quo *iecur* ictum eſt,
Vulnus, ſcit fieri mortis certiſſima cauſſa.

§. XXIII.

Haud tamen eſſe ſolet vulnus diſcriminis expers
Xyphöidea quod ſub cartilagine ſterni eſt,
Defixum, pupugitque lobum mucrone ſiniſtrum
Hepatis. At licet in limbo ſint viſceris huius
Vaſcula texturae longe ſubtilis, habere
Ne tamen vlla locum ſueſcit curatio propter
Imbellem *iecoris* naturam, quae ſolet omni
Robore deſtitui fibrarum, muſculus omnis
Quo valeat ſummae naturae lege, neceſſe eſt.
Debilitas *iecoris* prohibet laxiſſima, quod non

Inter ſe poſſint vniri vulneris orae:
Hae ſi non coëunt, profuſio ſanguinis inde
Proueniet, valida non compeſcenda medela.

§. XXIIII.

Maior noxa ſubeſt, ſi portarum ſinus, atque
Rami ſanguiferi, largitur quos caua vena,
Hepaticique tubi, quales arteria gignit
Praedita conſimili cognomine, vulnere quodam
Scinduntur. Verum, quum non ea vulnera propter
Imbellem *iecoris* naturam rite coire
Inter ſe poſſint, hinc fluxu ſanguinis orto,
Vires momento tenuantur ſic, vt abinde
Redditus exſanguis moriatur, vulnere laeſus.
Nam *iecur* eſt viſcus, vaſorum copia maior
Cui ſolet eſſe. *) Probat portarum maxima vena
Illud. Vaſorum confluxus iure meretur
Haec appellari, conſueſcens ſumere vaſa
Ex inteſtinis, ſtomacho, paruoque liene.

*) §. VII. XVII. §. XIII.

§. XXV.

Eſt quoque mortiferum vulnus, quod fellea cyſtis
Accepit. Sed non ob flumen ſanguinis ortum
Lethalis fieri ſueſcit veſicula fellis.
Nam, vero te ſcire decet: non inde cruoris
Poſſe ſequi fluxum lethalem a vulnere, fellis
Folliculo illato, quia ſunt exilia vaſa,
Sint numeroſa licet, queis cyſtis fellea gaudet
Turgida bile, venit vaſis a cyſtide nomen

Iſtis,

Iſtis, a medicis hinc cyſtica vaſa vocantur:
Mors tamen ex cauſſis certiſſima naſcitur illis
Fellis folliculo laeſo, quia vulnere facto
Effluit ex ipſa, bilis mera, cyſtide fellis.

§. XXVI.

Bilis in abdomen dum fit ſtillatio, mortem
Inuitat lentam, quia bilis flumine nullo
Amplius ingreditur duodenum, vt abinde reſurgant
Nauſea ventriculi, et deiectio roboris eius,
Omne cibi deſiderium, potusque voluptas
Ceſſent, turbetur chyli confectio longe
Vtilis, vt pereat nutritio corporis, atque
Inteſtinorum vis et periſtaltica virtus
Deſinat, et veniat mors paulatina, neceſſe.
Namque ſequi lentam mortem conſueſcere, certum eſt,
Quando cauum ventris numeroſa bile grauatur,
Nempe diu ſtans in ventris cauitate morando
Bilis, edax vitium ſibi contrahit, inque liquamen
Mutatur putre, quo vitiatur ſanguinis humor,
Redditur acre ſerum, concreſcit limpida lympha,
Corpus tabeſcit, mentis vigor aufugit omnis,
Hinc eneruatos tabo mors congelat artus.
Fellis folliculum pertundi a vulnere poſſe
Partibus intactis reliquis, quas poſſidet *hepar*,
Omnes, folliculi fellis ſitus edocet ipſe:
Namque ſupra *iecoris* limbum veſicula fellis
Prominet, hanc lateris, ſatus ex abdomine dextri
Muſculus omnigenus vario cognomine, rectus,
Obliquus, tranſuerſalis ſubſternere ſueſcunt.

§. XXVII.

§. XXVII.

Aſt, non ex ſolis his cauſſis *hepatis* exſtat
Vulnus mortiferum, quod ab illo vulnere valde
Ductus biligeri *iecoris* venoſaque vaſa
Laeduntur: Sed et ex illa ratione, quod illo,
Hepatici tubuli pulſantes, quos dare ſueſcit
Coeliaci vaſis pulſantis in ordine ramus
Tertius, et nerui, quales cognomine plexus
Exhibet hepaticus ſcinduntur, vulnere facto.
Vt, nam ſcire licet, ne partem corporis vllam
Solam pertundi: Sic nunquam laeditur *hepar*
Solum. Semper enim tali patiuntur ab ictu
Damna ſimul pulſu ſalientia vaſa, canales
Venarum, nerui molles, lymphatica vaſa.

§. XXVIII.

Vt *iecoris* vulnus variatur: ſic quoque mortis
Diſcrimen ſueſcit variari. Vel cita mors ſit,
Vel ſit lenta, tamen ſit ineuitabilis vsque
Hepate percuſſo, pertuſis ductibus *eius*.
Enecat anguſtum vulnus, mortemque profundum
Vulnus ferre ſolet, lente ſtillando cruorem.
Nam quia non inter ſe poſſunt vulneris orae
Committi, ſequitur ſtillatio ſanguinis, aegrum
Quae lenta ſemper ſueſcit conſumere morte.

§. XXVIIII.

Hepate diſrupto per ſe, ſubitanea mors eſt;
Auctores perhibent: rupturas *hepatis* eſſe
Non plane abſurdas. Contingere poſſe, negare

Nemo

Nemo poteſt *iecoris rupturas*, quae dare mortem
Conſueſcunt, *iecur* abſceſſu ſi forte laborat
Pure graui: Nam ſi pus ferri nititur extra
Abſceſſu rupto, progigni vulnus oportet
Hepatis internum, non apparentibus vllis
Exterius ſignis manifeſtis, non quoque viſis
Vllis indicibus, per quos vexata pateſcunt,
Quae cutis exterior prae ſe fert laeſa vel ictu,
Vel cauſſis aliis in eam violenter adactis.

§. XXX.

Eſt etiam *iecoris* per ſe ſanabile vulnus, *)
Sed quod mortiferum caſu, ſtudioque medentis
Eſt factum; quoniam neglectum quid fuit eius
In cura. Vulnus ſtudio lethale creatur,
Ac aegri culpa, neglecta lege diaetae.

*) §. XVIII. XX.

§. XXXI.

Si gladio punctum non eſt *iecur*, attamen ictu
Sic laeſum, latus ad dextrum violenter adacto,
Vt vaſis inſit ſtagnans cruor, atque coactus,
Corpore diſſecto, vexatum cernitur *hepar*.

§. XXXII.

Hepar vexatum ſi, ſecto ventre, nigro rem
Exhibet, et ſphaceli ſi fert lethalia ſigna:
His, non ſeruari vitam potuiſſe, ſciendum.
Nam propter venas exiles *hepatis*, anceps
Eſſe malum ſolet, et curatio plena pericli,
Illis ex cauſſis, cruor, extra vaſa, coactus,

Dum

Dum ſtans in *iecoris* vexati viſcere nullis
Auxiliis medicis, nullaque reſoluitur arte,
Vt vexatorum eſt *iecur* impatientius omni
Viſcere: Sic nihil ars, nihil et medicamine virtus,
Sanguinis ad grumos, quos in ſe continet *hepar*
Plaga vexatum, vult diſcutiendo valere.

§. XXXIII.

His poſitis patefit: quod longe peſſima res ſit,
Si cruor in vaſis exilibus *hepatis* ire
Circuitu renuit ſic, inflammatio viſcus
Hepatis vt teneat, laedat, corrumpat et angat.
Hic non diſcutitur, facili molimine morbus
Ob teneras venas, et ob imbecillia vaſa,
Quae requieſcentem nequeunt expellere ſuccum
E vaſis. Staſis hinc inflammatoria talis
Semper habere ſolet miſerae diſcrimina mortis.

§. XXXIIII.

Nauiget Antyceram, qui ſeſquipedalia verba
Proiicit, ampullasque vomit, nec dicere pallet:
Vulnera, felici, *iecoris* curata fuiſſe
Euentu maiora. Quis autem ferre valebit
Iudicium rectum *iecoris* de vulnere? Quis de
Vulneris effectu poterit quid dicere veri?
Certe nemo, niſi qui, cultro funus apertum
Inſpicit. Ars ſolummodo democritaea docebit
Vulneris effectum, neque coniectura valebit
Qualiscunque patet: quod in his, ex vulnere quodam
Quos ex ſucceſſu curatos arte putarunt,
Ad *iecur* haud vulnus deſcenderit vsque, ſed ictus

Dum

Dummodo ſubſtiterit tali in pinguedine, quali
Muſculus impletur tranſuerſus nomine dictus.
Poſſe tamen *iecoris* leuioribus arte mederi
Vulneribus, *) nullus niſi captus mente negabit.
Vaſa ſuperficies habet exiliſſima. Quare
Sint ea ſciſſa licet, quae per *iecur* vndique ſerpunt,
Subtilem lymphae laticem capientia vaſa:
Attamen anguſtum ſi vulnus, et eſt leue vulnus,
Non adeo laedi potuerunt plurima vaſa
Vulnere, quin ſinerent, effundi poſſe cruorem,
Et dulcis lymphae latices, cum morte ſequente.
Verum, ſcire iuuat: lymphatica maxima vaſa
Magnis vulneribus lacerata necare ſolere.
Hinc ea ſimpliciter ſunt annumeranda vigore
Iuris vulneribus lethalibus, haec quoque nullo
Excuſanda modo ſunt, iuxta ſcripta medentum.

*) §. XVIII. XX. XXX.

§. XXXV.

Aſt, vbi communis, ductusque choledochus eſſe
Vulnere praeciſus ſolet, eſt lethale vocandum
Vulnus ſimpliciter. Prohibetur bilis ab illo
Vulnere, ne fluat in duodenum, ſi caret illud
Bile, nequit fieri chylus, ſi lacteus humor
Deficit, ipſa aberit nutritio, corpus vt inde
Incidat in lentam tabem, mortemque, neceſſe eſt.

§. XXXVI.

Hepate pertuſo non mors enaſcitur vsque. *)
Diſcrimen magnum datur inter vulnus, in *hepar*

*) §. XVIII. XX. XXX. XXXIIII.

Quod penetrare ſolet, iuſtoque profundius intrat
Ac inter vulnus leue, quod ſolummodo tangit
Enſe ſuperficiem *iecoris* **) ſed non ſolet illud
Poſterius vulnus iugulando perdere. ***) Nam dum
Vulnere non laedi potuerunt maxima vaſa ****)
Namque ſuperficiem *iecoris* comitantia vaſa
Sunt minimi generis, ſunt exiliſſima longe: †)
Nulla ſequi potuit profuſio larga cruoris. ††)
Accidit id: quando *iecoris* pars ſumma vel ima
Percutitur leuiter. †††) Valet excuſatio multum ††††)
His in vulneribus, valet et curatio multum. *a*)

) §. XVIII. *) l. c. et §. XX. ****) §. XVIII. †) §. XXXIIII. ††) §. c. et XX. †††) §. cit. ††††) §. XVIII. *a*) §. cit. et XX.

§. XXXVII.

Ex illis poſitis manifeſtius arte peritis
Omnibus apparet: quod *Coi* non ſit vbique
Effatum verum: quod percuſſum *iecur* eſſe
Semper mortiferum conſueſcat. Opinio *Coi*
A vero multum diſcedit. Si tamen ille
Dixiſſet: Vulnus deſcendens altius aequo *)
In *iecur*, eſſe malum lethaleque: leneque contra
Vulnus, vel partem contingens *hepatis* imam
Vel ſummam leuiter, nunquam lethale putari **)
Poſſe, niſi cui mors caſu contingere ſueuit:
Sic *diui medici* ſententia lata, valeret.

*) §. XVI. **) §. XX.

§. XXXVIII.

Haec ita de *iecoris lethali vulnere*,

DIXI.

De

De

HAEMORRHAGIA

pulmonis

ſeu

de

Sputo cruento

Carmen

ad

Virum admodum reuerendum

Dominum

DOMINVM

CAROL. IOSEPHVM MOSLER

Canonicum regularem Ordinis S. Auguſtini congregationis lateranenſis ad D. V. Sagani.

Si mundi natura ſuis in legibus errat,
Et quoque mortali non leuis error erit.

De

De HAEMORRHAGIA pulmonis ſeu de Sputo cruento Carmen.

Praefamen.

Multis innumeriſque poris hiat extus et intus
Humanum corpus naturae lege, creatum
Hoc ſit vt huc, ſit vt illud perſpirabile, ſicut
Vndique rimarum pleniſſima teſta TerentI.

Non durare ſalus poſſet, niſi corpus hiaret
Multis innumerisque locis, quibus iret in auras
Omne ſuperuacuum quod ſi remaneret, obeſſet
Corporibus viuis, ſuffocaretque ſalutem,
Sanguinis ob ſuccos cumulatos, ocyus aequo.

Aſt, donec natura, ſagax et maxima, leges
Nititur obſeruare ſuas, bene quisque valebit.
E contra vero, quod ſi deflectat et erret,
Et male diſpenſet natura negotia, vita
Incipit in morbos labi, qui ferre ruinam
Iſti conſueſcunt, mortem inducendo timendam.

A recta, natura via deflectit, et errat,
Quando ſuperuacuos e corpore ducere ſuccos
Negligit, aut quando retinendos fundere tentat.

A recta, natura via deflectit et errat,
Ad loca ſi mittit ſuccos, admittere tales
Quae renuunt, aut in quodam ſi viſcere ſuccos
Euacuat, quod non naturae lege creatum eſt,
Egerat vt tales. Dare caſum nemo vetabit:
Ex curſu calidos vt pulmo refrigeret, atque
Carminet vt nimium craſſos tenuando cruores
Ex legum iuſto voluit natura vigore;
Non vero fecit pulmones, ſanguinis humor
Vt fluat ex illis, et vt eiiciatur ab illis:
Verum ſi fieri conſueſcit, vt exeat humor
E pulmone ruber cum tuſſi ſpumeus, ipſa
A recta, natura via deflectit, aberrat.

Fluxus ſanguinei genus id deſcribere verſu
Mecum conſtitui. Monſtrabo *haemoptoë* quid ſit
Et quibus ex cauſſis veniat, queis debeat *illa*
Cognoſci ſignis, quae ſint ſubiecta tenere
Quae ſueſcit *ſputum* veniens pulmone *cruentum*
Qui bonus euentus ſit *morbi*, quiue ſiniſter
Dicatur referam. Quae ſit curatio nec non
Quale ſit auxilium, cuius vi ſiſtitur humor
E pulmone fluens, qualemque tenere diaetam
Conueniat, tradam. Quanam ratione recurſus
Debeat auerti, praeſcindi, dicere iuſtum eſt.

Ignoſcas quaeſo, MOSLER, quod verſibus illis
Abſit conueniens pondus, verusque character,
Qui tamen eſſe meae deberent iure Camoenae.
Aſt tua quid refert mea, quod tractatio vincta
Sit pede? Dum lectu modo ſit tibi ſuauis et apta.

De

De HAEMORRHAGIA pulmonis ſeu de Sputo cruento Carmen.

---

§. I.

Quando vi tuſſis cruor e pulmonibus exit
Spumidus, a. graecis *haemoptoë* dicitur. *Illum*
Morbum, *ſanguineum ſputum* dixiſſe latinos
Scire licet, quoniam ſputo permiſtus ab ore
Exſpuitur ſanguis. Non vero profluit ille
Vi vomitus, modo quem ſtomachus dare ſueſcit apertis
Ex breuibus vaſis manantem. Nempe cruentus,
Dicitur hic morbus, vomitus. Niger ille colore
Et craſſus cruor eſt, non vero ſpumeus, atque
Purpureus, qualis fluit e pulmone reiectus.

§. II.

Seu fluit e pulmone cruor, quia copia maior
Sanguinis huc lati diſtendit iuſtius aequo
Vaſcula pulmonis ſic, vt tranſſudet apertis
Ex laxisque poris vaſorum ſpumidus, atque
Coccineus ſanguis, ceu roſcidus in cute ſudor.
Seu cruor e pulmone fluit, quia ſanguis abundans
Venas expanſas a multo ſanguine, rumpit,
Sic, vt proſiliens ex ruptis purpura vaſis
Pulmonum viſcus, ceu torrens, aggere rupto,
Omnia diluuio deuaſtans prata, perundet.

Seu fluit e pulmone cruor, quia ſanguinis acris
Humor perrodit tenuiſſima vaſcula ſic, vt
Vaſis ſanguiferis eroſis, ruptio fiat
In teneris tubulis pulmonis. Vt effluat inde
Sanguis, et in molles pulmones irruat, hosque
Sanguine profuſo grauet immergendo, neceſſe eſt.

§ III.

Aſt, ſuffocaret cruor in pulmonibus haerens
Mortales, nec non ſuſpenderet aëris vſum,
Quo ſine vita diu neſcit perſiſtere ſalua,
Si natura ſua, non tuſſim, ſponte moueret,
Cuius vi fuſos educere, perque tracheam
Nititur aſſiduo, euacuare, labore, cruores.

§. IIII.

Refert ſcire: poris ab apertis *ſputa cruenta*,
Promanata, minus vitae diſcrimen habere,
*Haec*que ſequi nullum pthyſeos conſueſcere morbum:
E contra, quod ſi vaſorum ruptio, praeſens
Sit, pthyſis accedit, nulla ſananda medela,
Quae pulmonis vtrumque lobum conſumit et exeſt.
Nam ſi pulmonis plane ſunt vaſcula rupta,
Aut propter nimios acres, eroſa liquores,
Poſt *haemopthyſeos* morbum ſuccedere ſueſcunt
Vlcus cum Vomica, tabes cum pure maligno,
Et peripneumonicus morbus, pthyſis improba, morsque.

§. V.

Nunc *haemopthyſcos* cauſſas producere fas eſt,
Illam progenerat plet' ora grauando cruore
Multo pulmones ſic, vt vel vaſa pororum

Tranſ-

Tranſſudent ſuccos vitales, vel cruor ipſe
Effluat ex ruptis vaſis cum labe ſequente,
Quam viſcus pulmonis alit, mortemque, liqueſcens
Tunc mador, ac vngues curui, caſusque capilli,
Alui proluuies, vt et indignatio mentis,
Ac oedema pedum, praedicent, eſſe futuram.

§. VI.

Hoc *haemopthyſeos* genus audit proxima cauſſa.
Reſtat, vt enumerem cauſſas quas eſſe remotas
Contendunt medici. Clamor fortiſſimus, atque
Pectoris ex imo depromtus cantus obeſſe
Pulmoni ſueſcunt gignendo *ſputa cruenta*,
Et *ſputa haec* infert inflatio crebra tubarum.
Vulnus pulmones laedens *haemoptoën* affert.
Ictus, colliſus, contuſio, caſus ab alto
In pectus, proferre ſolent *haemopthyſin illam*
Sanguineumque poteſt *ſputum* generare cachinnus?

§. VII.

Non ignorandum eſt *haemoptoën* eſſe pericli
Plenam, *quam* proferre valet violentia quaeuis
Pectori ab externis cauſſis illata, vel ictus
Vel lapſus, vel ſit contuſio, vel graue vulnus
Laedens pulmonum viſcus, penetransque profunde.
Scilicet vsque pthyſis venit ex his omnibus, artem
Eludens omnem medicorum, omnemque medelam.

§. VIII.

Omne quod exercet pulmones, hosque fatigat,
Atque quod orgaſmum ſuccis vitalibus infert,
Et quidquid verſus pulmones e cute ſuccos

Vitales pellit ſic, vt cruor adgrauet aequo
Iuſtius hoc viſcus, ceu pondus mole moleſtum,
Eſt aptum, vt faciat *ſputum* prodire *cruentum.*

§. VIIII.

Ira, metus, curſus velox, Venus improba, Bacchus,
Spiritibusque grauis potus, vinoſa diaeta
Atque cibus ſalſus, nimis acris, aromaque feruens
Subpeditant anſam, vt cruor e pulmone ſpuatur.
Sanguineus fluxus ſubpreſſus *ſputa cruenta*
Producit. Fluxus lochialis, menſtruus, atque
Sanguinis e naſo ſtillatio, quando morantur
Ac ſuſpenduntur *ſputum* prodire iubebunt
Sanguineum. Si non deſtillat ſanguis ab ano
Hoc, haemorrhoides, genus appellare ſolemus
Sanguinei fluxus. Neglectaque miſſio quando
Sanguinis e vena fuit, atque cucurbita, ſueſcens
Innumeris plagis inflictis lanceolae vi
E cute purpureos ſuccos educere, ſique
Nolumus, vt nimios exſugat hirudo cruores,
Tunc cruor e pulmone fluit, vi tuſſis abactus.

§. X.

Omne quod aequalem remoratur ſanguinis orbem
Sic, vt pulmones verſus ruat impetus vsque
Sanguinis, expandens vel rumpens vaſa tenella,
Id valet omne quidem *ſputum* generare *cruentum.*
Hepatis et ſplenis, meſeraei obſtructio, ſcirrhus,
Illud ſanguineum poſſunt inducere *ſputum.*
*Sputa*que femellis non ſunt aliena, *cruenta*
Praecipue quando lunaris fluxio ceſſat:

Inuaditque viros *haemoptoë*, quando recuſant
Deſtillare haemorrhoïdes ex podicis ore.

§. XI.

Verum *ſanguineo* ſueſcunt ſuccumbere *ſputo*
Qui cute ſubtili gaudent. Qui vaſa tenella,
Qui faciem roſeam, qui macros corporis artus
Prae ſe ferre ſolent, his e pulmonibus exit
Sanguis coccineus ſpumeſcens, et quibus eſſe
Planus et anguſtus thorax conſueſcit, ab ore
Sputa cruenta ſpuunt. Depreſſis qui ſolet vti
In dorſo ſcapulis, *haemopthyſis* hunc male vexat
Et breue queis collum ſapiens natura negauit
Sed longum conceſſit, eos *haemoptoë* tangit.
Nec ſinit intactos truncatos crure, manuque.
Sputum ſanguineum. Iuuenes quoque ſanguine plenos.
Corripit, exercet cantores, parcere cleris
Neſcit, qui ſueſcunt cantando extollere vocem.
Muſicus, inflando lituos, ſpuit ore cruorem.
Occupat *hocce malum* curſores, *hoc* tenet illos
Qui docili puero tradunt cum moribus artes.
Voceque clamantes elata Stentoris inſtar
E pulmone dabunt cum tuſſi *ſputa cruenta*.
A patre ſanguiſpuogenitos *haemoptoë* natos
Tangit, et in natos haeredum iure per illum
Scit *ſputum* tranſferre ſagax natura, *cruentum*.
Qui thorace ſolent arcte conſtringere corpus
Vt formae decus inferrent, hos *ſputa* moleſtant.
Qui nutrire ſolent in vaſis, queis cruor errat,
Acrem, coccineum, calidum, tenuemque cruorem,
Hos finxit natura ſpuant, pulmone cruores.

Quos ſcorbutus habet, quos peſſima ſyphilis angit,
Horum pulmones *haemoptoë* deſtruit, acres
Ob ſuccos, quibus ille ſcatet, quibus illa laborat.
Scilicet erodit pulmones tale miaſma,
Pulmonis vaſis exeſis effluit humor
Coccineus ſpumans, naturae lege manendus
In vaſis, minime vero extra vaſa ruendus.
Plumbum tractantes *haemopthyſis* angit, et illos,
Qui cum mercurio verſantur corripit, atque
Propter rodentes fumos, nocuosque vapores
Illa metallicolas vexat, chemicosque fatigat.

§. XII.

Scire tamen refert: *haemoptoën* eſſe futuram;
Aegrotus ſalſum ſi ſentit in ore ſaporem,
Si fauces dulcedo tenet, prurigo tracheam
Si tangit ſtimulis, et ſi dolor et leuis aeſtus
In thorace vigent, oppletio ſi premit, atque
Anguſtat pectus, ſi praeit anhelitus, et ſi
Pulſus percipitur plenus fortisque, *cruentum*
Tunc exire ſolet *ſputum*, tunc floridus exit
Coccineus ſpumansque cruor plerumque reiectus
E pulmone. Fluit cum tuſſi, profluit ille
Cum ſtrepitu quodam pulmonis ſanguinis humor
Mox putat e dextro, mox vero ſurgere, dicit
Ex laeuo latere aegrotus, ſentitque cruorem
Verſus pulmones aſſcendere, tunc ſalit auctus
Sanguinis orgaſmo, pulſus, tunc ingruit aeſtus,
Tunc titillatur ſpiralis fiſtula, tuncque
Tuſſis adeſt, cuius vehementi vi, cruor exit.

§. XIII.

Non ignorandum eſt: Cerebris apoplexin id eſſe,
Quod ſueſcit *ſputum* pulmonibus eſſe *cruentum*.
Et quod ventriculo vomitus ſolet eſſe cruentus:
Id pariter pulmoni *haemoptoën* eſſe, ſciendum.
Sanguinei mictus, id ſunt in renibus, eſſe
Quod *ſputum* ſolet in tenero pulmone, *cruentum*.

§. XIIII.

Si poſt *ſanguineum ſputum* leuis atque ſaliua
Aequalis ſpuitur, res eſt bona, ſpesque ſalutis:
Aſt ſi poſt *illud*, pus e pulmonibus exit,
Ominis eſſe mali, Coo teſtante, ſciendum,
Tranſiuiſſe *malum*, pulmonis in vlcera praua
Atque pthyſin, te ſcire decet, vomicamque creaſſe.
Si poſt *ſanguineum ſputum*, grauitate laborant
Pulmones, aut ſi remanet ſpiramen anhelum
Increſcens ſenſim ſic, vt praecordia ſtringat,
Si tuſſis perſtat, multumque diuque fatigat,
Iſtis, ſcire iuuat, rebus diſcrimen ineſſe.

§. XV.

Aſt, vt ſanguiſpuo medeatur, quando vocatus
Accedit medicus, iubeat vacuare cruorem
E vena pedis inciſa, ſed miſſio larga
Vt ſit, praecipio, repetitaque ſaepe iuuabit,
Donec diſparet, grauis inflammatio, donec
Sanguinis orgaſmus moderatior incipit eſſe.
Intendat neruos, vt fluxio larga cruoris
Siſtatur, ſanguis placetur feruidus, atque

Extra

Extra vaſa cruor ſtans in pulmone quietus
Diſcutiatur, abire malum ne poſſit in vlcus.
Ad loca deriuet longe a pulmone remota
Succos vitales, pulmones verſus euntes.
Tandem praecaueat, ne fluxio forte recurrat.

§. XVI.

Ergo ſcopo, ſatis, enarato fiat vt iſti:
Scilicet, vt manans cruor e pulmone, medela
Apta ſiſtatur, ratio, methodusque requirunt.
Semen hyoſciami, ſemenque papaueris albi
Dens hippopotami, tragacantha, corallia rubra,
Ac opium, cortex peruanus ſiue granati,
Siſtere manantem ſuccum e pulmone valebunt;
Camphora praecipue ſi conſociatur eisdem.
Ex his vel puluis fiat, vel legibus artis
Formentur pilulae, formetur vel bolus ex his
Vel cum conſerua rubrarum opiata roſarum.
Symphiton, althaeam, biſtortam cum ſcobe cerui
Concoque, conſocia tenuem cum cortice auenam,
Addeque quando placet, ſtellati ſemen aniſi,
Et da pro potu, qui fluxum ſiſtere pollet.
Omne farinatum conducit, quippe cruoris
Acrem demulcet maſſam, ſiſtitque fluentes
Purpureos ſuccos, hosque incraſſando moratur.
Quae dixi, ſtudio repeto, repetita iuuabunt:
Sputo ſanguineo gummi tragacantha medetur,
Vel gummi, quod mittit Arabs, vel cocta bibatur
Conſolidae radix, ſi fundit pulmo cruorem.
Albumenque oui quaſſatum proderit, hoc ſi
Sumitur ex lympha pura, quam Cinnama ſtillant,

Per-

Permixtum, grata vt fiat medicina palato,
Addetur quidam coctus cum Zazare fuccus.
Quodque gelatina, quod lento glutine pollet
Auxilium, prodeft, opportunumque putatur,
Illis, e pulmone fluit, queis fanguinis humor.
Iufcula conueniunt pullorum e carnibus, atque
E coctis pedibus vitulinis, arte parata.
At fi forte fpui nimium e pulmone cruorem
Taederet, fluor vt fedetur Corticis vfu,
Quem nobis regnum peruanum mittere fuefcit,
Suadeo, nec teneat, te quaefo, Corticis huius
Vanus, inersque metus, peregrinos qui modo, quique
Vexat in arte rudes. Timor ac audacia, figna
Sunt medici rudis, vt teftatur origine Cous.
Nil tamen auxilio diuino tutius illo
Exftat, multiplici fi creditur arte peritis.
Aft opium fugias, et quaeuis dulcia fpernas,
Abfurdumque reor, nimis adftringentibus vti.
Expandit fuccos opium, nimiumque perauget,
Dulcia pulmonem nimium, nimiumque relaxant,
Nec data pulmoni funt adftringentia grata,
Namque in eo retinent, extra qui vafa morantur
Humores, modo quos corrumpit foeda putredo,
Vlcus vt hinc, febris, pthyfis et mors lenta refultent.

§. XVII.

Sanguinis orgafmus moderetur puluere, rite
Inter fe miftis, quem poffunt reddere, nitrum,
Et fudoriferum ftibium, conchaeque marinae.

§. XVIII.

§. XVIII.

Vi laudatorum mediorum, vique diaetae
Sanguineo fluxu sedato, et sanguinis aestu
Composito, fas est, vt discutiendo fugetur
Extra vasa morans cruor in pulmone, malignum
Vlcus ne pariat, vomicamque pthysinque creando,
Balsamicis blandis et mitibus expedit vti,
Vt sunt, Olibanum, terebinthina, myrrhaque mastix
Balsamus e meccha, peruanus balsamus, atque
Herbae balsamicae, floresque, betonica, ruta
Scordion, hypericum, cum bellide saluia, botrys,
Arnica borrago, scabiosa, veronica, farfar,
Hyssopusque chamaepytis, venerisque capillus,
Bardanae radix, acetosae, graminis atque
Montani seleris, rubiae, cum sassaparilla.

§. XVIIII.

Ad loca mittendus cruor a pulmone remota,
Copia, pulmones ne, sanguinis, occupet, et ne
Sedatum, possit *sputum* reuocare *cruentum.*
Excutiis rigidis, pannisque fricare, iuuabit,
Crura. Calente pedes in aqua tenuisse, salubre est.
Atque synapissmo suris inferre ruborem;
Aut vi cantharidum vesicas reddere suris
Est opportunum. Ventosa cucurbita multa
Cum flamma suris prodest admota; sed illam
Sub costis spuriis, alienum est, ponere. Crebro
Lotio, quae stimulat tamen infundatur in aluum
Aut ex ellebori nigri radice, bouino
Felle inspissato, veneto sapone, nitroque et
Zazare connatus globus intrudatur in anum.

§. XX.

§. XX.

Tandem procuret medicus ne forte recurſus
Sputi ſanguinei contingat. Sanguis in anno
E vena pedis eſt bis emittendus, at eius
Eſt minuenda tamen, me iudice, copia ſenſim
Et ſenſim, vitae ne vis in corpore plane
Ceſſet, et ad ſedem ſugens ponatur hirudo.
Fac, haemorrhoides, fac, vt catamenia ſtillent,
Fac, tollas, iecoris, vitium, labemque lienis,
Atque meſenterii fac, vt ſit viſcus apertum:
Ni vis, vt redeat *ſputum* e pulmone *cruentum*,
Sit tibi qui mulcet, tibi ſit qui ſanguinis aeſtum
Temperat, et minuit, nonnunquam puluis in vſu.
Eſt laxatiuis vtendum lenibus, abſint,
Aluum quae ſtimulis nimiis et fortibus vrgent.

§. XXI.

Aſt quia ſex rebus non naturalibus apte
Seruatis morbos quoscunque cauere valemus:
Ne vicibus crebris *haemoptoë* ſueua reuertat,
Exacte ſtudeas leges ſeruare diaetae.
Hinc vitare decet celeres, vitare frequentes
Curſus. Elatis noli clamoribus vti.
Nec geſtes humeris, nec tollas pondus in altum.
Ira, Venus, Bacchus caueantur, ſitque loquela
Sit moderata, precor. Montes aſcendere noli.
Abſit aromaticus, calidus cibus, atque ſalinus,
Potus aromaticus nunquam calidusque bibatur,
Eſtque nefas acidis cuiusuis indolis vti.
Motus ſit ſemper moderatus, at otia nulla.

Lac

Lac eiusque ſerum bibe, fontibus vtere puris.
Frigus pulmoni nocet, ergo, frigida vites,
Frigidus et craſſus pluuiis nebulisque refertus
Eſſe procul debet quoque ſnbterraneus aër.
Veſcere pulte leui, vel veſcere mollibus ouis,
Crambe ſit in paſtu, fluuiatilis aſtacus, a te,
Contuſus nec non in ius mutatus, edatur.
In dapibus tibi ſint pulli, teneraeque columbae;
Menſa gerat carnes vitulorum, pectus alaudae
Et perdix placeant, abſit temulenta cothurnix
Et nocuo lolio ſaturata. Caprella lepusque
Exornent menſas. Non turdo gratior eſca eſt
Herbaque petraei ſuauis, radixque ſelini
Et radix apii comedantur ſaepe diuque.
Sed fuge, coffeae potum cane peius et angue.

§. XXII.

Haec de *ſanguineo* placuit componere *ſputo*,
Addere multa quidem poſſem, ſed terminus eſto.

 



MELACRISPI
Petraeo - Saxonis,
EPIGRAMMATA,
quae exſtant omnia.

Vis Epigramma tuum placeat, fac inſit acetum,
Cum Sale, fac breuitas, gratiaque inſit ei.

Vel

Fac, epigramma tuum ſit mel, ſal, fel, et acetum,
Sit tribulus, ſit apis, fac, epigramma tuum.

Ad Lectorem.

Quouis inſulſo Clero ſapientior eſto,
Si Te Epigramma meum, pungit ad inſtar apis.
Eſto magis ſapiens, quam ſimius iſte profanus,
Qui frangit ſpeculum, ferre quod ora ſolet.
Ter, quater, et decies eſt felix, qui ſapit ictus,
Et mentis vitium corrigit, osque premit.

EPI-



EPIGRAMMATA.

Ad Pontanum.

Pontificas Pontane, ſtruisque ad Sidera pontem:
Aſt aliis, tibi non, pontificare ſoles.

Ad eundem.

Si criſtas effert ex vili ſpiritus ortu,
Pontanus craſſis moribus eſſe ſolet,
Si redit ad patrios mores, quos ſueſcit habere
Zythorum coctor, ſcommata craſſa vomit.
Soluit amicitias, mendacia turpia fingit,
Feſtucas ſocii, non ſua tigna videt.

In Catharinam.

Iure catarrhinas, iſtas ſub nomine ſignes
Femellas, male quas hic fluor albus habet.

In bonum Paſtorem.

Concionator ego ſum me cognoſcite ſignis,
Magnifico cartas, Biblia curo nihil.

In Cornutum.

Actaeon, ego ſum, coniux cognoſce maritum
Signis, creuerunt cornua fronte viro.

In Thaida.

Non ſuit, atque colo net, non cruralia texit,
Non panes coëmit, non ſibi ligna parat.
Sed modo carne calet nuda, ſaturatur eadem,
Vndique virtutum plena, pudica Thais.

In Lentilium.

Suſpenſis gradibus Lentilius ambulat, iret
Vt ſuper oua putes.
Ne duros lapides, quibus vrbis ſtrata platea eſt
Forſan eundo grauet?
Non ita! ne, nam pes aegrotat vterque podagra
Laedat eundo pedes.

In malam Vxorem.

Eſt bona, ſi mulier morbo quocunque laborat,
Aſt eſſet melior forte, recepta polo.

In Clericum.

Cur tabulas legis de collo ferre ſacerdos
Sueſcit? vt illarum debeat eſſe memor.

In Vrſulam.

Vrſula faſtidit panes, carnesque recuſat,
Cur? quia conſueſcit viuere carne ſua.

In malam maritam.

Dic quid ſit mulier mala? formidabile ſpectrum
Quod ſolet eſſe ſuo februa flamma viro.
Orcus enim furiis plenus, mala ſi foret vcſor *)
Nunquam mas fieret liber ab hocce malo.

*) Littera X reſoluta in S. C. vxor per anagramma orcus audit.

In Sybillam.

Cornua deponit ceruus frondoſa quotannis,
Vtitur hoc quoque mas more, Sybilla, tuus?
Non ita: nam quocunque die, mirabile viſu!
Surgunt Cornuto cornua fronte noua.

In Stultum.

Ergo duas albas cartas pendere, ſinatis
Collo, caſtrenſis, quid? niſi paſtor ero.
Clerica geſtetur toga, permittatis, vt a me,
Sic ego praeco, ſenex ſimius inquit, ero.
His, et caſtrenſis Pater, et vis eſſe ſacerdos?
Falleris! his fratrum, Tu modo ſtultus eris.

In Altercatorem.

Altercatori pulcerrima cur datur vxor?
Vt longum tempus fallere poſſit ea.
Non ita: rixantes ſoboles produceret ex hac
St! St! eſſe reor tutius, ora premi.
Ne mihi cum natis oriatur forte duellum:
Filius exſequitur, quod Pater ipſe patrat.

In Bibacem.

Sicca nocent membris, ceu mus prandere recuſas,
  Absque meri potu, nec tibi coena placet.

In facies humanas.

Prae ſe fert ſpecies faciei tres homo: nempe
  Simius, aut ſtultus, vel Cato toruus erit.
Si flexis genubus Patri peccata fatetur,
  Supplex, tunc imitans Simius eſſe ſolet.
Inſtar erit ſtulti, ſi deperit ille puellam:
  Si cacat aut pedit, fit grauitate Cato.

Epithaphium Altercatoris.

Conditur hoc tumulo rixator, curre viator!
  Nam totus quondam rixaque lisque fuit.
Spiritus illius quum morte ſolutus abiret,
  Manibus indixit iurgia ſaeua piis.
Aufuge! ne tecum rixator litiget. Aures
  Intende! e tumulo vox maledicit. Abi!

In tres facultates.

A doctis emitur prudentia iureperitis,
  A medicis emitur perdita ſaepe ſalus.
Nil a Theiologis emitur dant omnia gratis.
  Sed quid dant gratis? Forſan inane nihil?
Falleris ingenio peccator maxime! verba
  Dant grauia ore, manu ſi grauiora dabis.

In Coniugium.

Et Deus et Satanas ſociantur foedere nunquam,
Nunquam coniungi rixaque paxque queunt.
Ecce! tamen fiunt, fieri quae poſſe negabam,
Foedere iunguntur rixaque, paxque ſimul.
Coniugium mirum! quo pax et rixa gubernant,
Diuiſum imperium rixaque paxque tenent.
Nocte ſolet pacem moderari rixa, quid ergo?
Imperat in rixam pax redeunte die.
Coniugium res eſt ex rixa, paceque miſta:
Miſtio mira quidem, miſtio grata tamen!

In Litigatorem temerarium.

Ni ſapis, vt ſapias ex hilo conſtrue cauſſam,
Nam niſi tu, ſapiet lege crumena tamen.
Quando crumena ſapit, ſophiam portabis in illa;
Hinc cerebrum plenum vermibus intus erit.
Qui ſic mordebunt cerebrum rixator in iram
Vt ruat, inſanus ſcommaque felque vomat.
Ex his vermiculis ortam ſanare maniam
Nemo valet mediis, plus valet arte malum.
Ergo nulla ſalus ſupereſt? vix vlla. Recordor:
Poſſet ſi vellet, virgo leuare malum.

In Midam.

Auriculas aſini celat ſub crine caprillo
Midas auritus plus, minus ergo ſapit.

Ad cheirurgum ſtultum.

Quam venam? mediam cheirurge ſecabis? Aberras:
Eſt tibi frontalis vena ſecanda prius.

In Vinum.

Cur natura ſagax vinum detraxit aſellis?
Ne ſaperent plusquam nos ratione, puto.

In Naſonem.

Cur natura parens, tenui te ventre creauit?
In naſo ventrem fecerat anne tibi?

In Craſſum.

Craſſus es! at raro diſrumpunt craſſa. Quid ergo?
Immortalis eris. Cur? quia craſſus eras.

In Conuiuas.

A, B, C inſtar conuiuas eſſe, ſciendum:
Eſt dicax alter, ſilet alter, conſonat alter.

In Chirurgum craſſum.

Sit facies, ſit dextra manus, ſit lingua modeſta
Cheirurgi, craſſum vix tolerabit anus.

In Ponticum ICtum corruptum.

Dic, cur lex et ius ſileant, mi Pontice? Dicam:
Contractos digitos Iureperitus habet.

In Battum.

In te non ricinos, pedicillum cernis in omni,
Omnibus Argus eris, Talpaque, Batte, tibi.

In rixatorem Sponſum.

Rixator ducit rixoſam forte maritam,
Mutuus vt rixis creſcere diſcat amor.

In Croeſum ſtolidum.

Sors ditat ſtolidos, ſapientes linquit inanes,
Cur? Sapiens Irus viuit vbique bene.

In Praetoris nuptias.

Si coecis oculis amor ac Aſtraea laborant,
Coecus erit Iudex, coecus amator erit.

In Sponſum.

Obruitur morbis vxorem ducere qui vult,
Scilicet eſt morbus femina, Cous ait.

Ad Bauum.

Baui lingua ſilet ſine vino: porrige vinum,
In lingua madida cor feret ille ſuum.

In Mulieres.

Ducitur alterni muliebris ſexus amore:
Ridet, laetatur, flet, petit, odit, amat.

Ad Amantes.

Lis in amore datur, diſcordia ſoluit amantes,
Forſitan vt rixis firmior eſſet amor.

In ſtultum diuitem.

Diuitis in loculis reſidet ſapientia, diues
Sit licet is ſtolidus, doctus et aptus erit.

In Amorem.

Res amor eſt patiens, nam fert onus omne, refertque
Ipſe amor ante tulit, quod patienter, onus.

Ad odarum anacreonticarum die Kleinigkeiten dictarum Auctorem.

Ingenio ſuperare patrem, non vltima laus eſt:
At tu iudicio ſcis ſuperare patrem.
Hoc Pater expectat, quum venerit vltima lux, ſed
Quid dabit iſta tibi? quid dabit? anne merum?

Ad Lectorem.

Si mendas epigramma tuis opponit ocellis,
Ceu ſpeculum facies, ad meliora redi.

In

In Epigramma.

Absque mero mihi non, mihi non ſine Phillide vita,
Absque Salis grano non epigramma placet.

Ad Aldum.

Garrula ſi poſſet panem tua lingua lucrari,
Solutus eſſes non fame.

Ad Chirurgum Diaulum.

Naturam e peiore luto finxiſſe Diaulum
Cheirurgum, facies, lingua, manusque, docent.

Ad Mopſum.

Vt melius ſapias, purgandus es igne priusquam
Ad flammam damnas, Mopſe, epigramma meum.

Ad eundem.

Mopſus amat, vinumque bibit, vates tamen haud eſt:
Cur? Aſini cerebrum Mopſus habere ſolet.

Ad Lectorem.

Fercula ſalſa ſitim pariunt, epigramma legenti
Salſum, o! ſi vellet conciliare ſitim.

In Vrſulam.

Pellibus vrſinis antiquus Teuto iacebat,
Incubet vt tibi vis, Vrſula, Teuto nouus?

In Simum.

Magnopere admiror, quod non tua lumina cantent,
Quum naſus ſit, ceu fiſtula, ſime, tibi.

In Legem Cornelii.

Lex, ficam geſtare vetat cornelia, ſed ſi
Haec ſine Vagina ſit, licet, hancce geras.

In Midam.

Crinibus auritus peregrinis cur tegit aures?
Forſan vt his illi plurimus eſſet honos?
Forſitan auriculas aſininas conderet illis?
Non negat ille prius, non nego poſterius.

In loquacitatem femellarum.

Quidquid aqua eſt cribro, res eſt arcana puellae,
Scilicet hoc fluit et perfluit illa ſimul.

vel

Cribro immittet aquam, qui dat reticenda puellae,
Nil retinet cribrum, nilque puella dati.

vel

Mandat aquam cribro, qui dat ſecreta puellae,
Ex cribro fluit haec, huicque tacenda fluunt.

In Rixatorem.

Sum nixator ego, ſed me cognoſcite vultu,
Cordis enim vitium contego veſte nigra.

In Concionatorem rixoſum, et alcatorem

Concionator ego ſum, me cognoſcite veſte!
Non! es rixator noſceris ore tuo.

vel

Luſor es, ex cartis noſceris ipſe tuis.

In

In Caſparem Ruſticum.

Abiice paganos, mores mutando profanos!
Ergo Magus mihi, ſi Caſpar obedit, erit.

Ad Medicum imperitum.

Quorſum feſtinas? ridens reſpondit, ad aegros:
Aſt apud hos quid ages? hos dabo, dixit, humo.

In Roſinam.

Mitte roſam, nimiumque roſae ne crede colori!
Ne roſa Te ſpinis pungat amata, ſuis.

In Platonis ſententiam.

Eſt animal deplume bipes homo, teſte Platone,
Hoc, ratione foret deficiente, Plato.

In Aldum.

Teſtis abeſt, dicens, quod ſit medicus malus; Aldus,
Aegrotos mutos efficit arte ſua.

In Coelium.

Optimus eſt medicus, qui diſcutit arte dolorem,
Amplius vt nequeat ſaeuus adeſſe dolor.
Coelius aegrotos miſeros dum ad ſidera mittit,
Se nummis ditat, colleque ditat humum.

In Liripipium.

Nocte dieque bibit Liripipius, amphora totus,
Cur? quia rimarum plenus is eſſe ſolet. *)

*) - - Commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt, hunc, tu romane, caueto.

Ad Momum.

Nasutus sis vsque licet, sis denique Nasus *)
Attamen insipidus, Mome, vocandus eris.

*) Martialis.

In Vinum.

Non nobis, natura feris modo vina negauit:
Saepe tamen similes reddimur hisce, mero.

Ad Medicum.

Quid facies si te formosa puella vocabit,
Intermittentis, quam tenet acre gelu?
Explorare manus pulsum fortasse studebis?
Falleris! haud pulsum suescit habere manus.
At tibi si curae sunt pulsus, tange sinistram
Mammillam, pulsum laeua papilla dabit. *

*) Celsus. Cor natura musculosum, sub sinisteriore pectore salit.

Ad Theologum Volfianum.

Estne boni pastoris, oues defendere contra
Insidias, ouibus, quas struit ipse lupus?
Hinc, qui pascis oues Christi sub fronde, tuere,
Ne stygius lupus has dilacerando necet.
Crede lupus sophus est, qui vellere tectus ouillo
Fraude sua stygia fallere tentat oues.
Ergo lupo rapido nimium tu credere noli:
Nam nocuum sub ouis vellere, virus alit.

In

In Saganum.

Nomen habet Sagan vrbs a verbo dicere: quare
Multa Saganorum dicere vulgus amat.

In Canonicos.

Regula Canonicis dat nomen; ſed ſine quauis
Viuere nonnulli ex his aliquando ſolent.

In Mulieres.

Cous ait: morbus tota eſt muliercula; Credo,
Nam ſi non aegra eſt corpore, mente tamen.

Ad Annam.

Suadeat Anna ſibi, gereret quod ventre gemellos:
Sed tumuit flatu, venter et intus aqua.

Ad Momum.

Vulnera percuſſi iecoris, dicat Auctor Amico:
Hepaticis morbis ergo laborat idem?
Haec, aegrote tamen cerebro, vomis abſona, Mome,
Elleborum guſta, mox meliora canes.
Si Fracaſtorius Bembo ſua Carmina mittit,
Syphilidis, fluit, huic hancce fuiſſe luem?
Nauiget Antyceram, qui ſecum cogitat iſtud,
Vt ſapiat citius, quam faba flore nitet.

Ad Rixatorem.

Paulus ait: *) non ſit rixator epiſcopus, ergo
Non es legitimus nomen et omen habens.

*) Epiſt. I. ad Thimoth. Cap. III. com. 4.

Poëta de ſemetipſo.

Vt Fracaſtorius tam felix eſſe recuſo:
Cur? quia non Bembo Carmina mitto mea.

Reſponſio ad Poëtam.

Vt Fracaſtorius non Bembo carmina mittis:
Fac, Fracaſtorius ſis, tibi Bembus erit.

Olympiae Moratae foeminae doctiſſimae Epithaphium in Bembum *).

Aonidum moritur, proh! gloria magna ſororum
Bembus, qui Venetum Lucifer alter erat.
Mortales inter quem nullus hic aequiparauit
Seu feciſſe iuuit, dicere ſeu decuit.
Quo vita functo viſa eſt facundia rurſus
Et Cicero fatis obcubuiſſe nigris.

*) Ex operibus eiusdem quae ann. cIↃIↃ LXX Baſileae prodierunt libr. Carm. II. pag. 241.

In Hieronymi Fracaſtorii Effigiem.

Ex Fracaſtorii vultu Podalirius ipſe
Elucet, Pallas ridet, Apollo micat.

 



Errata.

pag. 18 lin. 2. pro reſecauit. lege abſcidit.

pag. 28 §. 23 lin. 6.

pro

Ante fores hylax ululabit, noctua, cornix

lege

Ante fores vlulabit Hylax, et noctua, cornix

pag. 52 lin. 12 pro ſpeſſior, lege ſpiſſior.
pag. 52 §. 13 lin. 1. pro aeque, lege atque.
- - - 2. pro elatis, lege datis.
pag. 53. §. 14 lin. 17 pro frangans, lege frangens.

pag. 55 lin. 5 pro

Vsque ſimul illius vaſa laborant

lege

Vsque ſimul plagis illius vaſa laborant

pag. 78. §. 18. lin. 10 pro

Arnica, borrago, ſcabioſa, veronica, farfar
Hyſſopusque, chamaepytis, venerisque capillus

lege:

Arnica, borrago, veronica, chamaepytis atque
Hyſſopus, ſcabioſa leuis, Venerisque capillus